Nr. 309.

Dissertatio

ex

Historia Ecclesiastica

quam ad obtinendum gradum Magistri S. Theologiae

elaboravit

Paulus Januszewicz

Sacerdos e Dioecesi Samogitiensi

Sanctae Theologiae Candidatus

Alumnus Caesareae Romano-Catholicae Ecclesiasticae

Academiae.

Petropoli.

A. D. 1898.

Thema.

1. Quae ad indolem atque ingenium Dante Alighieri excolendum contulerint?
2. Utrum in operibus suis catholicam doctrinam semper professus sit?
3. Quos errores in ordine politico-sociali asserendo commiserit?


Praefatio.

Varios inter viros ingenio atque virtute magnos, qui operibus suis immortalem sibi meruerunt gloriam, dubium non est, quin principem Dantes Alligherius[1] teneat locum: qui est pater Italorum poesis, orbis vero catholici Homerus[2]. Ipse enim acuto ingenio suo tria amplissima regna simul atque arcana: superos, inferos mediumque inter illa purgatorium inspexit, delineavit mortalibusque intima eorum communicavit. Quae autem propria erant nonnisi viventibus aurea aetate, haec omnia peculiari ratione feliciter sua effecit, quapropter a plerisque scriptoribus haud immerito "Medii aevi Cosmos" dicitur. Litterarum cultores ad eum probe cognoscendum explicandumque nullo non tempore calamum strinxisse omnibus est notum. Hoc potissimum observatur apud Italos, Germanos, Anglos atque Americae Septentrionalis incolas. Etenim opus, cui nomen "Comoedia" omni saeculo fere ubique locorum multas editiones, versiones momentaque iterum iterumque habuit nova. Unde factum est, ut nostris diebus Dantes Alligherius patronorum cultorumque suorum non solum catalogum videret, verum etiam integras bibliothecas, societates[3] nec non encyclopaediam propriam haberet. Nil iam dicam de ephemeridibus poetae nomini dicatis. Vix hodie alicui mortalium liceat perlegere omnia tantae molis opera, quae illo de viro tractabant. Quae res eo difficilior evadit, cum et catholici et protestantes Dantem Alligherium suas ad partes trahi, suumque patronum videri velint. Multa enim apud hunc

---

1) Ita scribit ipse Dantes suum nomen cognomenque dedicando opus suum cui nomen „Comoedia" Veronae principi Can Grande della Scala. Cnfr Cantu. Histoire Universelle t. VI. p. 566 nota 3. – Passerini: La Vita Nuova di Dante. Firenze 1897. –
2.) Tarnowski: Wieczory Florenc. p. 157. – Schlosser. Weltgeschichte, VII, 386. – 3.) U. Micocci. La Fortuna di Dante nel secolo XIX p. 47 sqq. –

orum, praesertim in eius opere, quod a posteris non iam simpliciter „Comoedia" dicitur, sed „Divinae" nomen meruit, cum sint subtilia atque allegorica, primo rei intuitu et ad hanc et ad illam partem tutandam opportuna esse videntur. Haec controversa, quamvis successu temporis indefesso virorum doctorum labore magna saltem ex parte sint iam soluta, multa tamen ex eis solvenda adhuc restant, ut recte celeberrimus Albertus Veiss sua in epistola de Dante animadvertit.[1] Caeteris omissis ~~tr~~ tres sunt quaestiones, quas, ut ait G. L. Passerini[2] nemo ad nostra usque tempora numine opitulante solvit, quin imo nec solvere eas ex professo unquam tentavit. Et quidem 1° Quae ad indolem atque ingenium Dantis Allighierii excolendum contulerint? 2° Utrum in operibus suis doctrinam catholicam semper professus sit? ~~et~~ 3° Quos errores in ordine politico-sociali asserendo commiserit? ~~Quamvis~~ Quaevis harum quaestionum testibus celeberrimo Poletto,[3] Passerini,[4] Vaiss,[5] quos hac in re consului, amplissimo suo ambitu et longum studium et librum integrum postularet, si quis vellet sufficienter de illis tractare. Quo tamen minime obstante tribus illis quaestionibus solvendis una Dissertatione operam navavimus. Veniam nobis dabit Benevolus Lector 1° si a themate proposito, sub initio generalem conspectum de indole atque ingenio Dantis claritatis causa proponendo, recesserimus; 2° si quae minus recte soluta fortasse viderit. Quosdam enim fontes haud parum ad rem icite pertractandam necessarios consulere tum ob exiguitatem temporis, tum ob alias causas nobis minime fas fuit. Quibus nihilominus haud obstantibus multos rerum scriptores, biographos, encyclopaedistas nec non auctores ex professo de Dante Allighierio tractantes plus minusque pro facultatibus nostris circa quinquaginta[6] (quos citatos in decursu Dissertationis Lector inveniet) inspeximus eorumque sententiis ponderatis, quae nobis recta videbantur, selegimus. Quibus tandem Benevolo Lectori propositis ad singulas Dissertationis nostrae partes accedamus est necesse.-



Cnfr. 1.) Epistola de Dante, de d. 5 Decembris an. 1897. - 2.) Moderator Ephemeridum: „Giornale Dantesco" Firenze. Vide pariter eiusdem epistolam de Dante de d. 15 Januarii 1898. - 3.) Antistes pal. pontif. Hic est vir versatissimus in litteris Dantis, primum hoc sub respectu tenet locum in orbe terrarum. Ipse totam vitam suam Toscanorum poetae dedicavit atque plures per annos fungitur munere professoris in Instituto Leoniano Romae. Vide U. Micocci op. cit. nec non „Alcuni studi su Dante All." et „Dizionario Dantesco". Poletto. - 4.) Ep. cit. 5.) Ep. cit. 6.) Quod sane nonnisi parva gutula est relate ad omnia opera, quae lapsu temporis de Toscanorum poeta prodierunt quaeque mare spatiosum efficiunt.-

Dantes Alighierius.

De indole eius atque ingenio

Conceptus generalis.–

„Nessuno più di Dante ha diritto „all'ossequio e alla gratitudine dei „posteri". Leo XIII. Brev. 1892.
„Nemo maius ad cultum ac gratum posterorum animum habet ius, quam Dantes" (Idem).–

Alighierii et Bellae[1] filius, cui nomen Dantes, indole atque ingenio fuit vir magnus, qui amantissimi instar floris medii aevi cultoribus artium liberalium omni tempore considerandus mirandusque proponitur. Vir enim eo maiorem unquam genium praeteritum vidit atque futurum videbit tempus. Etenim ipse ea animi floruit felicitate, quae virum in votis fortem, intima rerum scrutantem, recte philosophantem, humana agentem faciat. Quam ob causam Dantes Alighierius omnibus in adiunctis aureae aetatis non alium nisi virum versatissimum, omnino peritum, expolitum morum censorem se gessit: omnis totius orbis catholici gentes suscepit docendas, cum in mente eius nemo esset, qui recto tramite procederet. Quae cum sibi persuasisset, omnibus mortalibus nullo excepto theoretica sua placita ac practica proposuit, omnesque certiores fecit, quae essent eis agenda vitandaque. In omnibus igitur se fecit iudicem, qui tam vivorum, quam mortuorum merita aestimanda suscepit, quique de regibus eorumque subditis, de Imperatoribus atque Summis Pontificibus ultimam sententiam profert, eosdem, attentis eorum meritis, vel ad Inferos damnat vel superorum participes facit vel medium eis purgatorium sibi nonnisi propria solertia decernit. Quod Catonis iudicium non alio nisi proprio motu est agressus. Variis de rebus sermonem proferendo animo sibi dictat se esse civem plenissimo votis in exequendis iure praeditum, liberum poetam, missum non aliam ob causam nisi ut omnia iudicaret versibusque exciperet. Nullum Collegium, nullam scholam quamvis eximiam, privilegiis ornatam sibi propriam esse fatetur; adeoque neminem sibi aut imperare aut in negotiis auxilium ferre aut patriam designare posse dicit; se semper atque ubique nonnisi exulem unicuique mortalium recta dicentem, se hominem humanique participem esse affirmat; Christi tamen in agmine se minimum videre vult.[2] Hoc de modo agendi Dantis Alighierii. Quod vero attinet disciplinas, quibus ipse floruit, tenendum est, eas omnes sibi pro tempore excellenti modo notas fuisse. Qua in re Dantes Alighierius nemini secundus est dicendus. Etenim ipse non solum totam auream aetatem medii aevi, quo vixerat, probe cognovit,[3] verum etiam omnia iam elapsa saecula, omnes nationes, litteras, leges aliaque bene et multa

---

Confr 1.) Kirchenlexikon. Joseph Cardin. Hergenröther. Dantes.– Encyklop. Powszechna; Encyklop. Wielka Ilustr. 1895–; G. L. Passerini. La Vita Nuova di Dante. 1897 p. I.–
2.) Epistola ad Cardinales in Conclave an. 1314 data, mortuo scil. Clemente V, ubi Dantes dicit: Quidquid sum, hoc gratia Dei sum, incensus zelo Domus Domini op. min. III p. 486 etc.– 3.) Korsak. Boska Kom. Wstęp p. 26;– Karl Hillebrand. Etude sur l'epoque de Dante p. 362–363;– Eichhoff. Tableau de la Litt. p. 392;– L'Europe au Moyen Age. Hallam t. IV p. 382.–

naturae perspexit, versibus excepit, mortalibusque graphice proposuit. Quapropter Dantes Alighierius iure merito dici potest Universitas[1] disciplinarum vel, si fas sit dicendi, panorama, ubi quisque inveniet et videbit subtilem philosophum, sapientem litteratum, artium cultorem, antiquitatum patronum, peritum geographum, cultum diplomatem regem, imperatorem, pontificem, omnium denique hominum indolem atque ingenium, qui certam auctoritatem in societatem tenuerunt, non aliosque quidem nisi quales in vita erant cum vitiis scilicet suis, virtutibus, meritis, donis, superbientes ambitiosos et sic porro. Perspecta vero intima huius viri persuasione tenendum est, Dantem indole fuisse virum vere catholicum, pium, rectum, misericordem, gravem, optime excultum, ingenio vero, quo floruit, celeberrimum esse poëtam, subtilem philosophum, eximium morum censorem, haud secundum reipublicae moderatorem. Quod etiam ipsemet profitetur in opere, cui nomen „Divina Comoedia", ubi dicit: se esse audacem, semper tamen intra limites officii sui;[2] spiritu elatum, sed sincerum, longe ab omni fuco faciendo;[3] pronum ad iracundiam, invictum tamen ad malum avertendum;[4] summum inimicum omnis iniustae vindictae;[5] ingenium sibi datum esse acutum[6] dicit; orationem argumentis refertam atque logica arte praeditam,[7] ab adulando prorsus alienam. Levitatem humanam ipse deridet, dolet tamen poenas, quas homines merentur.[8] Omnem potestatem honore prosequitur, Ecclesiam vero Chti humilitate; in omni oratione audaciore veniam petit sese excusando, quamvis quisque ejus sermo non aliud nisi bonum procurandum malumque amovendum habeat; adulationem odio prosequitur semper, admirat tamen fortitudinem in poenis etiam damnatorum;[9] magnum ingenium ipse a Deo obtinuit; hoc tamen non obstante studiis intentus est, fortis ac stabilis in votis; divitias parum aestimabat; avidus, cupidusque est gloriae valde; vitia nihilominus sua profitetur; homines ac res cognoscere cupit; antiquos amicos profunde in pectore fovet; verum supra omnia diligit, plus quam primum intimumque amicum suum; apud homines semper atque ubique magnum humanumque quaerit; huic nonnisi rei cedit; seipsum non alium nisi moderatum exhibet; vel maxime timet, ne homines graves sibi aliquid vitio vertant; paternam civitatem suam summo honore prosequitur; nullo non tempore fidelis manet amicis suis; toto animo in benefactores fertur; ubique pium catholicum sapit, de novissimis memoriam alit; in oratione fervidus est; S. Luciam et B. Virginem Mariam toto corde amat atque colit.[10] Ad indolem hanc atque ingenium eius excolendum multa laeta amaraque adiuncta contulisse quisque ex sequenti videbit.

Cnfr 1.) Sismondi. La Littrtre du Midi de l'Europe t. I p. 350 etp. –
2.) Infr. VIII, 44; Parad. XVII, 24, 118; – 3.) Purg. XIII. 136. – 4.) Infr. VIII, 38; XXVI. 10. – 5.) Purg. XX. 87. – 6.) Infr. XI, 76; Purg. XVIII, 40. – 7.) Purg. III, 78. – 8.) Infr. XXX, 130. – 9.) Infr. X, 80; XVIII, 83 10.) Hettinger Gött. Comödie p. 44–45. –

Prima Pars.

Parentes — Prospera patriae adiuncta — Magistri amicique — Scholae — Ordines sacri — Poesis Gallorum — Indoles Toscanorum — Beatrix — Notitia sui ingenii — Praedecessores — Iubilaeus Factiones politicae — Exilium — Indoles Italiae Saeculum XIII (aurea aetas) — Amor patriae.

1. Parentes Dantis erant Allighierius Bellicione[1] et Donna Bella. Ipsi primum in excolenda indole atque ingenio Dantis locum tenent. Quamvis enim eorum origo quodam modo sit obnubilata, certum tamen est eos cultura opibusque celebres fuisse Florentiae cives; qui, ut solent boni parentes, mature curarunt optime instruendum filium.[2] Pater Dantis Allighierius professione eximius[3] fuit iuris consultus atque invictus Guelforum dux[4]; qui elapsis aliquot annis[5] post filium natum morte sublatus est; nihilominus memoria eius apud Florentiae cives mansit atque colebatur. Pater igitur Dantis nonnisi meritis suis filium excolendum suscepit communicando cum eo indolem nobilem atque ingenium. Merita illa patris multum contulerunt ad indolem atque ingenium filii excolendum, fuerunt enim ei incitamento ad nobilem se hisce in terris semper exemplo patris praebendum non obstantibus quibuscunque impedimentis. Multum apud auctorem „Diviae Comoediae" praedecessores valuisse patet ex eius operibus, ubi in deliciis habet se eis gloriari. Mortuo patre Dantes Allighierius mansit sub auspiciis suae matris Donnae Bellae. Quae cum mulier teste historia esset magnae solertiae, religione catholica imbuta, morum integritate praedita, litterarum cultrix[6] magnam in excolendo filio adhibuisse curam nemo unquam negabit. Ipsa prae aliis filium optime excolendum educandumque suscepit eiusque primos gressus ita direxit, ut prima fidei morumque principia profunde in corde eius omni tempore colerentur felicemque eum facerent, utpote ipsemet ait in opere, cui nomen „Vita Nuova", ubi iucundissimam sibi fidei, obedientiae, pacisque plenam fuisse primam eius vitae periodum dicit.[7] Quousque sub

1.) Hic fuit filius Allighierii, qui habuit matrem Allighieriam. Haec fuit uxor celeberrimi poetae et equitis Caciaguidonis. Cf. Parad. XV et „Italieniche Litrtur im Mittelater" 1885. – Sismondi. Histoire t. IV p. 181. – 2.) Cfr Rohrbacher. Histoire t. XX p. 158. – Encuklop. Powszechna, Encuklop. Kościelna. Dante etc. – 3.) Ios. Card. Hergenröther. Kirchenlex. Dnte aliique auctores passim. – 4.) a Gibellinis bis exulem se gessit, sed c. an. 1264 Florentiam repetiit. Cfr Hergnrthr supra cit. – Gasparini. Latien. Litt. – Ginguené. Histoire Lit. t. I. p. 438. – 5.) Hettinger in cit. op. dicit 9° anno p. 9 alii aliter tenent. – 6.) Boccaccio. Origine, Vita etc di Dante. – Ginguené cit. op. t. I. p. 440. – Hergnrt. Kirchlex. etc. – 7.) Tarnowski. Wieczory Flor. p. 200. –

tutela matris indoles atque ingenium Dantis acueretur, ignotum est. Certum nonnisi est eum optime in domo materna fuisse cultum, secus enim minime felicem primam vitae suae aetatem dixisset philosophando de praeterito iuventutis in opere „Vita Nuova“.[1] Quae cum ita sint, vix aliquis negare possit Donnam Bellam, ut omnis mater, puerorum tutrix atque institutrix facere consueverit, cum filio suo Dante inter alia communicasse indolem mansuetam, religiosam atque amoris plenam.

2. Haec viri magni indolis atque ingenii cultura apud parentes incepta ulterius facili negotio promoveri potuit ob prospera adiuncta patriae. Florentia, ubi celeberrimus Toscanorum poeta primam lucem aspexit, tunc temporis potentia, libertate, celebritate felicitateque in negotiis floruit.[2] Nonnulli eam tantis encomiis tunc celebrarunt, ut paradisum terrestrem appellarent. Quod quidem mirum esse non debet. Omnia enim perapportune ei cedebant. Summi duces „Signioriae“ pacem atque libertatem civitati procurarunt. Guelforumque ei indolem dederunt. Factiones inter Guelfos et Gibellinos agentibus potissimum S. Francisci necnon Dominici filiis erant sopitae. Cultura cordis mentisque eorundem clericorum opera magis magisque promovebatur. Commertium vero reipublicae ultimas orbis terrarum regiones attingebat, prospera patriae procurabat. Multae machinae, quibus civitas eminebat, varia instrumenta bellica variaque ornamenta principum regumque aulis necessaria culte producebant. „Florentia,“ ait Villani[3], „80 tunc temporis mensas publicas habuit, unde omnia Europae regna pecuniam in negotiis suis mutuo ab ea petebant; 200 machinae, ubi 30000 hominum laborabant, primum qualitate sua in Europa pannum faciebat.“ „Respublica Florentina“ dicit alius auctor[4], „quovis anno reditibus suis plus valebat quam Anglia simul atque Irlandia tribus postea elapsis saeculis, regnante scilicet Elisabetha“. Quibus opportune agentibus paterna poetae civitas continue ornabatur extendebaturque novis institutis, magnificis templis Deo Optimo, Maximo dicatis, domibus, collegiis aliisque id genus rebus, quae etiam hodie magnificentia sua ac celebritate quemlibet viatorem magnam in admirationem ducunt. Multae civitates tam vicinae quam longe ab ea distantes, cum tantam viderent Florentiae potentiam, intimam cum ea amicitiam fovere eiusque in causis patrocinium habere aemulabantur. Quod vero attinet statum Florentiae intellectualem, hic, faventibus illis prosperis adiunctis, omnino floruit. Siquidem numerus scholarum est auctus. Incolae civitatis praesertim populares tanto disciplinarum amore ardebant, ut aemulando hac in re omnes scholas implerent. Numquam Florentiae cives tanti litteras aestimarunt quam saeculo XIII. Etenim omnes disciplinas: artem scilicet scribendi numerandique, studium iuris, philosophiam, theologiam, classicos auctores summo honore omnes prosequebantur.

Cfr. 1.) Parad. XV–XVIII; – Pierre Bayle. Dictionaire Historique et Critique t. II, p. 952 etq.
2.) Carl Hillebrand. Etude Historique sur l'epoque de Dante p. 39. p. 311. – 3.) Istoria t. VI, p. 69. – Parad. XV. – 4.) Macaulay, Essy. Macchiavelli. –

Altero dimidio saeculi XIII scholae Florentiae plusquam 10000 auditores intra muros suos videbant.[1] In confiniis reipublicae idem agebatur, videlicet nonnullae (eius) civitates, ut Bolonia, Salerno, Padua etc. universitates obtinuēre, ubi ingens multitudo iuventutis omnis aetatis conditionisque studiis toto pectore vacabat. Unde prodierunt multi doctrina atque ingenio magno praediti viri quorum centrum operandi fuit Florentia. Qua in civitate poetae versibus reipublicae gesta excipiebant, periti in architectura aedificandis ecclesiis aliisque monumentis erigendis delectabantur, eruditi vero in pictura arcana Superorum mortalibus visibilia faciebant, musici autem perfectionem in arte sua adepti dulci iucundoque sono cives opere lassos recreabant eorumque animum ad superos ducebant. Quae cum ita in civitate gererentur Dantes Allighierius primam iuventutem agebat.[2] Prospera haec patriae adiuncta multum ad indolem eius atque ingenium excolendum contulisse omnibus est notum. Etenim illa eum amore patriae nec non libertatis implevere; talibus cum in adiunctis versaretur facili modo rationem philosophandi iniit, ambitum mente laborandi auxit, sagacitatem sibi (a natura) datam exercendi in republica opportunam occasionem invenit. Insuper ingenio cum vivido praeditus esset, intima (rerum maxime) reipublicae cognovit agendo scilicet iuventutem inter Guelfos, qui rempublicam moderabant. Haec aliaque bene multa ad indolem atque ingenium viri magni acuendum necessaria Dantes obtinuit accedentibus prosperis illis patriae adiunctis.—

3. Huic porro Dantis culturae ulterius promovendae accesserunt celeberrimi magistri atque intimi eius amici, inter quos eminentiores sunt: a.) Brunetto Latini, vir litteratus, eximius astrologus, intimus poetae patris amicus, Sorbonae parisiensis discipulus, secretarius reipublicae Florentinae, magno ingenio praeditus, qui primus fuit tunc temporis Grammaticos inter et Rethores Florentiae nec ultimus inter eius poetas[3]; b.) Cimabue, Giotto celebres erant in pictura; c.) Casella eximius fuit musicus, d.) Guido Cavalcanti magno ingenio poetico floruit, deinde sequuntur: Lapo Giani, Dino Frescobaldi, Cino Siribuldi aliique poetae Toscani, qui carminibus nec minus philosophiae intenti erant. Facili igitur modo Dantes Allighierius ab eis viris artes liberales cognoscere easque acuto suo ingenio retinere potuit; et quidem grammaticam atque rethoricam sub Brunetto Latini, qui a Donna Bella magister filio datus, eum magno amore vel matre mortua prosecutus est eique praedixit eum fore magnum.[4] Deinde sub Cimabue et Giotto didicit sculpturam; Casella eum peritum in musica fecit; Guido Cavalcanti aliique bene multi lyricis operibus suis

---

1.) Cnfr Grabowski. Literatura średniowieczna t. II. p. 861–866. — 2.) Delécluze. l. c. p. 56; — Wegele. l. c. 17; Vannucci l. c. 91, 92; — Purg. IX, ubi Oderisi viros peritos, poëtas nominat ac dicit: Della rabbia superba a qual tempo Flor..—; Rohrbacher. Hist. cit. t. XX p. 157 etsq. — 3.) Infr. XV, „Se fosse.... Rispos'io lui (usque ad) Convien che nella mia lingua..—; Karl Hillebrand op. cit. p. 248; Korsak. Boska Kom. Wstęp p. 75. — Lacépède. Histoire Gener. t. VII. p. 300. — 4.) Korsak. Bosk. Kom. Wstęp p. 2–3. —

eum delectando incitamento ei fuerunt ad poesim amandam colendamve.[1] Primum tamen inter Dantis magistros atque amicos in cultura eius indolis atque ingenii locum tenuit Brunetto Latini. Hic enim, cum videret discipulum magno vividoque ingenio atque felici memoria praeditum, instituendum eum libenter suscepit in omni disciplina: non solum amore et verbis, verum etiam multum ei contulit suis carminibus poeticis simul ac variis operibus litterariis ut „Trésor", „Tesoretto" aliisque, quibus omnes litteratis tunc temporis delectabantur. Brunetto Latini adeo fuit peritus in poesi, ut totum Aristotelis atque Ptolomaei systema versibus exciperet aliisque proponeret. Ideoque tenendum est, primum, qui cum Dante arcana poesis, philosophiae, astronomiae, reipublicae communicaret eumque huius rei cultorem faceret, fuisse Brunetto Latini. ~~Idem~~ Ille id perficere voluit, ut Dantes maturam aetatem adeptus cultus peritus esset Florentiae moderator.[2] Talem cum praeceptorem Dantes haberet vel puer classicos Latinorum auctores adamavit brevique tempore opera Vergilii „Eneidam" potissimum memoria retinuit eiusque stylum sibi imitandum proposuit. Vix tamen quis illum nunc Dantis praeceptorem sciret, nisi discipulus eius auctorque „Divinae Comoediae" eum grati animi causa immortalem faceret sequentibus versibus:

„... Siete voi qui ser' Brunetto?...
„Risposi io lui.....
„Che in la mente m'è fitta, ed or m'accuora,
„La cara e buona immagine paterna
„Di voi nel mondo, quando ad ora ad ora
„Mi 'nsegnavate, come l'uom s'eterna:
„E quant' io l'abbo in grando, ment' io vivo
„Convien che nella lingua mia di scerna.
„Ciò che narrate di mio corso scrivo
„E serbolo a chiosar con altro testo
„A donna che il saprà, s'a lei arrivo.
„Tanto vol' io, che vi sia manifesto,
„Pur ~~que~~ che mia conscienza non mi garra,
„Ch' alla fortuna, come vol, son presto.
„Non è nuova agli ~~orech~~ orecchi miei tale arra:
„Però giri fortuna la sua ruota,
„Come le piace, e'l villan la sua marra."[3]

Quem influxum ab aliis magistris suis atque amicis Dantes sit passus in excolenda indole atque ingenio, difficile est dictu. Hoc nomnisi tenendum est eos exemplo suo ei contulisse, ut maiore cum amore studia prosequeretur, operationem mentis coniunctam cum acumine, „genie" maiorem faceret, intima rerum rimaret simul atque sese praepararet ad trium regnorum: Inferni scilicet, Purgatorii Paradisique arcana mortalibus eximio modo proponenda.-

---

Cnfr 1.) Sismondi. Histoire Litt. t. IV. p. 182; Purgat. XI, 79-88.- 2.) Korsak op. cit. p. 3 et seq.-
3.) Infer. XV, 28-97.- Granier sur le XV chant l'Enfer de Dante p. 166-
Karl Hilleband. Etude sur l'epoque de Dante p. 248-252 et p. 362.
Rohrbacher. Histoire t. XX p. 158.-

4. Deinde in excolenda Dantis indole atque ingenio eius acuendo viros illos, quos supra recensuimus, excepere superiores scholae,[1] quae vulgo „Universitates" dicuntur, quarum celebriores erant: Salernae, Boloniae, Parisiis, Paduae, Neapoli aliisque in civitatibus Europae, ut supra iam notavimus. Illis in scholis superioribus sub initio auditoribus nonnisi specialis pars disciplinarum proponebatur. Boloniae e.g. Universitas cultura iuris famam meruit. Civitatem hanc variis e regionibus viri petebant non aliam ob causam nisi ad operam studio iuris dandam. Altero dimidio saeculi XIII Boloniae Universitas tantam celebritatem sibi comparavit, ut quovis anno eam audirent plus quam 12000 studiosorum.[2] Eodem pariter tempore Universitas Parisiensis celebris fuit theologiae studiis. Salernae floruit medicina, quae brevi tempore multos patronos cultoresque est nacta. Saeculo vero XIII tres illae superiores scholae, multos cum viderent artium liberalium cultores, disciplinarum ambitum augeri voluerunt. Etenim Salernae praeter medicinam auditoribus philosophia et ius proponitur. Boloniae studiosi non solum ius excipiunt verum etiam theologiam, medicinam artesque liberales. Parisiis autem iam non sola theologia locum tenet, verum etiam ~~cultura~~ iuris, medicinaeque studium colitur. Eodem pariter XIII saeculo tribus illis superioribus scholis accesserunt Universitates: Paduae, Neapoli, Bourges, Montpellier, Cambridge, Valentiae aliisque in locis. Tantus enim fuit saeculo XIII litterarum amor, tam avidi omnes erant scientiae, ut ingens ubique hominum omnis et conditionis et aetatis esset numerus, qui scholas peterent studiisque operam darent. Inter clericos erant laici, inter iuvenes haud pauci viri aetate maturi, quin imo senes[3] hac in re indefessi videbantur. Quam ob causam non est mirandum, quod multis in Universitatibus saeculi XIII milia hominum studiis vacarent. Boloniae e.g. Universitas saeculo XIII quovis anno 13,000 auditorum habuit; Parisiis plus quam 18,000 alumnorum erant. Idem agebatur vel in aliis Europae Universitatibus; principem tamen locum hac in re tenuit Italia. Tantum igitur Dantes cum videret scholarum incrementum tantumque iuventutis ardorem ad doctrinam obtinendam colendamque, fieri haud potuit, quin vir magno vividoque ingenio praeditus magnaque studiorum capacitate exornatus alio spiritu animaretur. Id eo magis tenendum est, quod Florentiam tunc temporis eruditi varias ob causas peterent. Generalis igitur ille scholarum influxus, qui omnes studiorum amore incendit multisque causam praebuit scholas superiores adeundi, persuasit etiam Danti Boloniam, Paduam aliasque civitates petere doctrinae

---

Cafr. 1.) Bayle t. II p. 955 in notis K. — 2.) Grabowski. Literatura Średniowieczna t. II p. 865; - Holzwarth Historya Powszechna t. IV. p. 707-726. — 3.) Grabowski op. cit. — Joseph Gaspari Litt. im Mittelalter op. cit. —

acquirendae gratia. Quod ab eo reapse factum fuisse, probant litterarum commercium [1] cum universitatum professoribus atque eius opera, quae in philosophia, theologia, classicis auctoribus eum valde peritum ostendunt. [2] Ubique enim in illis operibus et systema cultum et mira rerum notitia eminent, quae omnia nonnisi superioribus in scholis obtineri potuerunt. Quae cum ita sint, non est mirandum, quod apud doctores admodum probabilis est opinio, quae tenet, eum absolutis paterna in civitate scholis per 20 annos philosophiae ac theologiae vacasse Boloniae, Paduae, Parisiis nonnisi postea ubi in magno Universitatis auditorio coram pluribus et laicis et clericis celeberrimam disputationem „de quolibet" (quod cuique placet) suscepit docteque absolvit; deinde 14 professores Doctores Sorbonae 14 ei theses proposuerunt solvendas, quas omnes morae impatiens culte ex memoria solvit. Ibique etiam legit difficiliores quaestiones ex Summa S. Thomae et e Litteris Sacris. Quibus auditis omnes nemine excepto Doctoris in theologia gradu esse dignum dixerunt. Ob paenuriam tamen pecuniae diploma Doctoris a Sorbona obtinere non potuit: absque (!) titulo Doctoris, quem valde optabat, Italiam repetiit. [3] Scholae igitur illae indolem Dantis atque ingenium omnino excultum fecerunt eumque virum religiosum, peritum non solum artium liberalium, verum etiam litterarum sacrarum patrumque operum produxerunt. –

5. Etenim fere omnes scholae tam minores quam superiores saeculo XIII erant sub auspiciis clericorum vel saecularium vel regularium. Inter hos ultimos in excolenda indole celeberrimi poetae et acuendo eius ingenio poetico principem locum obtinuere Minores et Praedicatores, [4] seu filii S-ti Francisci et S. Dominici, quorum primi mysticam theologiam colebant, alteri vero scholastica delectabantur. Qui duo ordines multum s. XIII in excolenda iuventute Toscaniae prae aliis valuisse historia est testis. Filii S. Dominici erant celebres oratores: facundia oris, subtilitate in argumentando, notitia rerum aliisque dotibus maxime eminebant omnesque scientiae avidos viros ad scholas suas alliciebant. Filii vero S. Francisci eodem tempore omnibus exemplo paupertatis, misericordiae, contemplationis, amoris Dei, proximi aliisque virtutibus obviam ibant multosque pariter patronos sunt nacti. Utrique in obiecto apprime consentientes discrepabant nonnisi in modo, quo rerum arcana scrutarentur. Etenim Dominicani semper ultimas in rebus causas inquirendo scitque argumentando subtilia amabant, Franciscani vero omnia profunde contemplantes arcana mundi (rerum ~~mun~~) penetrabant novosque thesauros mortalibus aperiebant. Hi mysticismo delectabantur; illi autem subtilitate rationis. Unius agminis viri originem poesi lyrico-allegorico-religiosae dederunt; alterius autem ordinis litterati ad culmen splendoris scholasticam scientiam duxerunt.

Cfr 1.) Ozanam. Poètes Franciscains. – 2.) Rohrbacher op. cit. p. 158. – Sismondi op. cit. t. IV p. 181. Ginguené. Histoire Litt. t. II, p. 248 et passim. – 3.) Hanc ob causam eximius pictor Michelino Dantem depixit in Eccl. Cathedr. Santa-Maria del Fiore in habitu Doctoris. – Ozanam, Poètes Francis. – Korsak. op. cit. p. 17. – Masson, Elogior. II p.p. 28, 213. – Boccaccio, Geneal. L. XV, c. VI. – Parad. X. – Rohrbacher op. cit. p. 158. – 4.) Federici. Istoria dei Cavalieri Gaudenti. –

Franciscani maiores indole poetica erant quam Dominicani, qui philosophos potius, quam poetas agebant. Quae cum ita essent, duo eruditorum castra facta sunt, quorum alteri intima scilicet rerum contemplantes simplicitate sua ac teneritate popularibus potius, quam viris doctis nomen dederunt, alteri vero subtilitatem celebritatemque amantes philosophi evaserunt. Saeculum XIII utrisque in castris viros magnos habuit, ut postea videbimus auream aetatem perscrutando. Si quidem inspiciamus formam, quam viri illi ad exprimendos sensus suos adhibuerunt, hanc aliam fuisse apud Franciscanos, aliam vero apud Dominicanos constat. Franciscani enim cum propius essent popularibus, non alia nisi vulgari lingua et methodo utebantur tam in carminibus conficiendis quam in aliis operibus elucubrandis. Contra vero Dominicani cum philosophi essent et linguam et methodum nonnisi classicorum haberi voluere. Porro Franciscani cum contemplando res et rimando viverent popularium que rationem agerent, ansam aliis haud paucis dederunt linguam vulgarem colendi, mysticis se delectandi poesimque vulgarem ulterius promovendi. Eodem temporis momento Dominicani causa extiterunt subtilitatum scholasticae saeculi ~~saeculi~~ scilicet XIII. Cum igitur talis esset ratio agendi filiorum et S. Dominici et S. Francisci, celeberrimus Toscanorum poeta, Dantes Alligherius, scholas utriusque Ordinis petiit, discipulum eorum se praebuit regulamque eorum sequi constituit.[1] Verum postea certas ob causas nuntium eis misit, acuto tamen suo ingenio doctrinam neque horum neque illorum unquam sprevit, quinimo utriusque ordinis arcana didicit eorumque propria sibi in pectore conservare curavit. Nam commorando apud Franciscanos Dantes Alligherius intima mysticae cognovit modumque eorum vivendi adamavit; vitam vero degendo apud Dominicanos scholasticam eiusque subtilitates in dicendo atque argumentando obtinuit simulque clipeo religionis armatus in arenam profectus est. Quibus omnibus hinc inde cognitis Dantes optime iam fuit paratus ad opera scribenda, quibus famam sibi immortalem mereretur. Insuper filii Sti Francisci multum ei contulerunt operibus suis mysticis.[2] S. Franciscus e. g. eximio suo carmine „de Sole" vulgari idiomate scripto ostendit linguam Italorum esse poeticam; filius eiusdem Sancti Fra Giacomino poematibus suis de Inferno et Paradiso arcana Inferni nec non superorum cum poeta communicavit fecitque eidem viam accessibilem ad aeterna cognoscenda; Giacopone de Todi frater eiusdem Ordinis summus inter montes Umbriae degens idiomate pariter vulgari carmen composuit satyricum, quo universam S. Bonaventurae Theologiam mysticam accepit et nemini parcens exemplum auctori „Divinae Commoediae" dedit tam laicorum quam clericorum excessus carpendi eosque vel ad Inferos, vel ad Superos vel ad Purgatorium — secundum scilicet eorundem merita — decernendi. Ordines igitur sacri multum

Cfr 1) Cantu. Histoire Universelle t. IV. p. 567. — Weiss Apol. t. III p. 404. — Korsak op. cit. pp. 5, 17, 18. — Rohrbacher op. cit. p. 171. — Arnaud. Histoire de Dante p. 485. — 2) Ozanam. Poetes Franciscains. —

in excolenda Dantis indole atque ingenio eius acuendo contulerunt. Omnia tamen illa adiuncta, quae hucusque diximus, potius indolem Dantis quam ingenium excoluere.

6. Ad pulsandam vero lyram poeticam Dantis Allighierii praeter ea, quae iam sunt dicta, bene multa alia adiuncta partes suas tribuerunt. Cum videlicet vividum, perspicax magnumque poetae ingenium omnia acute observaret, maturesceret, Italia, maxime Florentia, quae tunc temporis uti paradisus terrestris ab omnibus considerabatur, magnum influxum poetarum Provinciae 1) subiit. Saeculo enim XIII civitates Italiae reportatis victoriis de exercitu Imperatorum plenaque status libertate sibi revindicata propter superbiam eam in opinionem venerunt, ut talem sibi libertatem procurarent, qualis propria fuit antea aulis regum atque Imperatorum. Ad finem hunc obtinendum Padua, Venetia, Genua, Florentia publica festa indixerunt celebranda. Quam ob causam variis ex regionibus viri praesertim periti certae artis, ut musici, poetae, actores aliique id genus bene multi Italiam petebant, ut publice in arena se peritos ~~ex~~ ostenderent laureamque vel carminibus, vel sonis musicis vel aliis modis sibi compararent. Unde diebus festis alii lyram poeticam pulsabant, alii vel theatris procurandis vel aliis studiis vacabant. Cum autem Florentia, ut supra diximus, principem celebritate sua locum in Septentrionali Italia teneret paradisusque terrestris diceretur, omnes turmatim eam adire tentarunt, maxime vero Provinciae Gallorum poëtae „chavaliers poetes de Provance"; 2) qui Italis occasionem dederunt resuscitandae poesis. Numerus illorum „chavaliers poetes"-trovatori" adhuc auctus est, cum in Gallia Albigen"sium fautores persequerentur adeo, ut brevi tempore omnes Septentrionalis Italiae urbes impleverint, quare quidam poetarum saeculi XIII exclamasse fertur: „Gallos (trovatori) hinc inde augeri in Italia ut lepores simul ac diluvium, a quo vix aliquis salvari posset." Quisque „chavaliers poëtes" sibi propriam heroidem in mente habuit, qua delectabatur celebrando eius laudes. Hic eorum modus agendi ~~ex~~ eis ita proprius fuit, ut „conditio sine qua non" eis esset vel regula summa, qua dirigi necessario deberent, posthabitis omnibus quibuscunque curis. „Chavaliers poëtes" ubique heroidum iussa cantando sensaque sua exprimendo brevi tempore tantam vim in Italos exercuerant, ut omnes Toscanos imitatores sibi addictissimos fecerint. Quae aemulatio varia ex parte perspicitur, maxime tamen in obiecto electo. Etenim apud utrosque idem heroidis cultus habetur, qui fuit primum atque ultimum praeceptum nec non argumentum totius scholae Provinciae, ubi principes poesis „cours d'Amour" erant. Secundum principia illius scholae merita poetae eiusque virtutes non aliunde repetenda esse putantur nisi ex plena sui ipsius subiectione voluntati heroidis, quam summo amore

Cnfr 1.) Poëtes chavaliers de Provance-ou Troubadours. – 2) Ozanam. Poëtes Franciscains. – Tarnowski. Wieczory Florenc. pp. 119–164 et pass. –

prosequi quisque eorum tenebatur. Omnis igitur heroidis cultor simul esse debuit eiusdem eques, poeta, qui signo suae heroidis ornabatur eoque coram suis aequalibus gloriabatur, unde inspirationem petebat, carmina decantabat, minime tamen (saltem saepius) putando se remunerandum esse ab ea fidelitatis causa. Saepe enim numero eiusmodi „chavalier poète" heroidem, quam tam acriter laudabat defendebatque, ad dies vitae vel nunquam vel rarissime in vita videbat, adeoque heroidem „in potentia" potius quam „in actu", utpote scholastici philosophi aiunt, habebat. Ita e. g. Godfridus Rudel princeps Blaye heroidem (princessam) uxorem Tripolitanis principis sibi elegit eamque summo honore prosecutus est, quam tamen nonnisi semel in vita sua et quidem ante mortem videre ei licuit.[1] Cultus igitur heroidum illius saeculi, „gaie science" ut merito ait Klaczko, nihil aliud fuit, nisi causa, praetextus calamum stringendi versusque componendi. Hanc ob causam „chavaliers poètes" saepe numero eligebant sibi heroidem nulla habita ratione quoad eiusdem conditionem: perinde enim eis erant status aut virginitatis aut coniugalis ligamenti. Quae cum ita „chavaliers poètes" Alpes transgressi agerent, multi Itali eorum agendi rationem approbarunt, eos imitandos esse sibi dixerunt. Et quidem sub initio huius „Gallorum equitum" influxus Itali carmina sua non alio nisi idiomate Provinciae texebant, ut Nicoletus Turinensis, Bartholomaeus Giorgi, Albertus Markiz Malarpino, Bonifacius Calvo Genuensis, Sordello celeberrimus etc. Verum postea alienae linguae pertesi sese ad linguam paternam converterunt, ut Cirillo vel Vincenzo d'Alcamo[2] Sordello, Guido Guinicelli, Fridericus Enzo rex Sardiniae, Ugolino Bucciolo aliique. Omnes saeculi XIII poetae Itali erant optime conscii se poesim Provinciae imitari. Haud pauci hanc rem palam sunt professi gratumque animum exhibuere Provinciae poetis. Cuius rei testis est vel ipse Dantes Allighierius, qui non solum „canzone" triplici idiomate scripto: italico, latino equitanoque, se esse imitatorem „chavaliers poètes d'amours" probavit, verum etiam opere „de Vulgari Eloquentia", ubi eundem fere honorem tribuit Provinciae poetis atque antiquis auctoribus. Imitatio illa vel maxime observatur in obiecto, ut supra monuimus. Nam quisque poeta Italus agentibus Provinciae poetis certam sibi eligit „heroidem" ut „conditionem sine qua non" eamque celebat toto corde sese dicando eidem laudandae. Cuius rei testes habemus non solum inter laicos verum etiam inter clericos. S. Franciscus e. g. cum videret „chavaliers poètes" submersos in heroidibus celebrandis, eorundem exemplo ductus equitem Chti se iactans „donne gentili" sibi eligit, et quidem nobilem, utpote ipsemet ait, divitem, pulcherrimam, qualis vix unquam extiterit. Madonna illa fuit idea perfectionis, paupertas, quam et ipse Sanctus et eius filii eo modo in pectore fovebant, quo saeculum XIII indolem symbolicam. Etenim ipsi paupertatem sibi exhibebant ut filiam Superorum. Hanc vero aman-

Cnfr 1. Tarnowski. Wiecz. Floren. p. 124–151. – Ozanam. Poètes Francisc. – 2) cuius „Canzone" Dantes in suo op. „Divina Com." allegat omisso nomine auctoris. –

trissimam suam contemplationis sponsam i.e. donne gentili" appellabant eique vires suas consecrabant, quemadmodum „Chavaliers poètes de Provance" (trovatori) facere solebant suis „madonnis" heroidibus. Provintiae igitur poetarum influxus, quem Italia saeculo XIII subiit, multum etiam valuit, ut supra monuimus, in excolendo ingenio poetico Dantis Allighierii. Hic enim, cum magno fervidoque ex natura ingenio praeditus esset, nullam opportunitatem sprevit, quin provintiae poetas ubique agentes non attenderet, eoque magis cum id facere intimos suos amicos „del bello stile" ut Sordello, Guinicelli, Cavalcanti aliosque videret[1]. Obsequens igitur una ex parte spiritui epochae, altera vero ex parte memor verborum sui magistri[2] eadem imitandi provintiae poetas via profectus est, atque ceteri eius aequales. Quaeres luculentissime evincitur ex eius operibus: Vita Nuova", „De vulgari eloquentia," „Divina Comoedia", „Canzonibus," ubi imitatio illa „des troubadours" cuique ea legenti obvia est. Quod mirum esse non debet, si attendamus ad indolem Toscanorum.

7. Quivis Italiae filius, cum haud parum Graecorum Arabumque sanguinis habeat simul atque vivido ingenio gaudeat, in placitis suis vel etiam vindictis sumendis vix aliquos unquam limites admitti amat. Unde repetenda sunt: eorum audacia in propositis fingendis eisque exequendis, promptus cupidusque animus dominandi, adversarios vincendi, in carminibus conficiendis sese delectandi, in studiis promovendis primas prae aliis partes obtinendi et sic porro. Hanc ob causam Itali semper erant in litteris versati, eruditi omni ex parte, gloriosi classicis auctoribus, mythologiis, iuris cultura, studio philosophiae, celeberrimis suis scholis, quas iam vidimus supra. Ipsi nullam praetermittere occasionem sunt passi quae opportuna eis non esset litterarum se valde peritos exhibere[3]. Quae indolis nota multum valuisse in excolendo poetae ingenio nemo negabit. Etenim ipsa eum ad litteras colendas movit, ipsa eum imitatorem „bello stile" nec non „dolci detti" fecit, ipsa pariter fuit ei incitamentum ad arcana infiniti inspicienda; ad describenda, quae describi non possunt[4] etc. Quamvis porro indoles multum conferat ad ingenium excolendum, proprie tamen haec res in genere tantum valet, in specie vero ad operationem mentis excitandam praesertim apud viros graves proxima adiuncta concurrant est necesse.

8. Inter specialia autem adiuncta, quae magnam vim in excolendum Dantis ingenium habuerunt, primum locum tenet amor erga Beatricem filiam Folco Portinari. Haec, cum dotibus magnis praedita esset, ita Dantem sibi arripuit, ut heroes ei esset celebranda ad dies vitae. Quam heroidem Dantes primum apud Folco Portinari vidit, cum ipse puer 9 annorum esset, illa vero tunc 8 annos nata erat. Quamvis admodum iuvenis adhuc esset puella, tam gratiosam, amabilem, in agendo vero nobilem, visu iucundam, gestu gravem sese exhibuit oculis poetae, ut ei angelus potius videretur quam homo. Quam ob causam vates (Dantes), ait Boccaccio, ita eam

Cfr 1.) Tarnowski. Wieczory Flor. p. 154 sqq. – Ginguené. Histoire Litt. t. I p. p. 465 sqq. – 2.) Canto XV Inf. – 3.) Tarnowski. Wiecz. Flor. – p. 128. – 4.) Ouvré. Commentatio Hist. de Mon. p. 30. –

dilexit, ut eam meditandam susceperit habueritque in deliciis usque ad mortem suam. Nemo eum deinde nec laetum reddere, nec tristem consolari potuit nisi aut laude, aut imagine, aut persona Beatricis. Elapsis porro 9 annis ab illa opportunitate, ubi primum Beatricem 8 annorum viderat, Dantes eandem iterum duas inter feminas euntem observavit. Illa ictu oculorum eum adiit amanterque salutavit ac tanta poetam beatitudine affecit, ut cubiculo se clauserit Beatricis meditandae causa. Quod cum faceret dulci somnio est raptus, ubi multa arcana ei aperta sunt. Expergefactus Dantes haec omnia aliis poetis proponere curavit opere, cui nomen „Canzone", ubi lyricum poetam se fecit. Primum hoc opus auctor dicavit aliis Toscaniae poetis; quorum unus Guido scilicet Cavalcanti perlectis eius versibus intime ei gratulatus est, quod felice marte rem perfecisset. Deinde Dantes more aliorum Beatricem sibi heroidem elegit eamque celebrandam suscepit. Hic amor erga Beatricem poetam animare coepit eumque auctorem fecit multorum operum, quibus Dantes tantam ingenii felicitatem ostendit, ut omnes suos aequales superaret arte potissimum intimos sensus exprimendi. In eis enim poëta tam culte secreta cordis proponit, tam graviter, ardenter profundeque illa depingit, ut nemo poetarum illius aevi ei similis hac in re videretur. Beatrix igitur fuit Danti felicissima musa. Haec enim eum inspirabat ad scribendum, operi intentum adiuvabat, obviam ei ibat ducis instar, laetum faciebat, sensus excitabat, ad profunda ducebat et sic porro. Pulcre hac de re dicit auctor „Causeries Florentines"[1]: „Beatrix, ait, fuit ei numen, anima ipsius animae, singularis idea eius mentis, contemplationis, inspirationis, visionis; idea felicitatis atque tristitiae; eam viventem celebravit veluti heroidem, mortuam vero velut sanctam prosecutus est; memoriam eius labentibus saeculis commisit fecitque eam immortalem monumentum tale erigendo, quod neque Alexander Magnus, neque Caesar, neque Napoleon, neque alii viri magni sibi factum unquam viderunt." Dantes Beatricem suam prosecutus est non solum corde, verum etiam opere. Ita e. g. amica Beatricis moritur, heroes tristitiam experitur, Dantes mox ad hanc consolandam compatientiam suam exhibet duobus operibus „Sonete" dictis. Porro accepto nuntio de morte patris heroidis, cum eam dolore affectam cognoscit, poeta maximum luctum planctumque exhibet, quod malum eidem augetur, cum putaret Beatricem fore, ut pariter moreretur. Tandem cum Beatrix revera initis cum quodam Bardi sponsaliis brevi postea moritur, poeta morae impatiens causam huius rei inquirit eaque inventa dicit: „Salvator iustitiae hanc nobilem personam in sinum gloriae suae vocavit sub tutela Beatissimae Virginis Mariae, cuius nomen magna in veneratione erat in

1) Klaczko. Tarnowski pariter in opere cit. p. 93.–

ore Beatricis"...[1] „Quia vita haec fuit indigna illo celeberrimo ente"[2] Deinde non obstante heroidis morte poeta Beatricem contemplatur loquiturque de ea ac si illa minime ei vale dixerit. Cuius rei testem se fecit opere „Vita Nuova," ubi et prosa et versibus intimum suum amorem erga Beatricem exhibuit. Hoc opere secundum Boccaccio imprimis ordine chronologico[3] historiam Beatricis celebravit a nativitate scilicet eius usque ad mortem. Ex eodem pariter opere constat Beatricem a Dante summo amore prosecutam fuisse. Hanc ob causam ea mortua poeta tantam concepit tristitiam, ut propter iacturam huius personae carissimae totus terrarum orbis dolore affectus esse ei videretur. Haec tamen brevi post modo in somniis, modo in versionibus Beatrix ei apparuit causamque poetae dedit instantissime de ea meditandi. Ipse enim studiis philosophiae et theologiae operam navando dicit: „Nihil ab hinc de hac anima dicendum fore, donec possit pronunciari id, quod dignum illa heroide esset quodque nemo unquam de aliqua heroide dixisset." Mors igitur Beatricis fuit causa operis „Divina Comoedia", ubi poeta vario sub respectu Beatricem considerat vel ut hominem mortalem, vel ut sapientiam divinam, vel ut gratiam.[4] Hoc in opere Beatrix proponitur mortalibus stellae instar ac reginae Superorum, quae cum poeta et perfectionem e coelo et fortitudinem ad superanda adversa communicavit eumque laetum, felicem et beatum facit simul atque viam ei pandit ad arcana Summi Numinis penetranda. Beatrix igitur Portinari[5] multum poetae contulit ad ingenium excolendum. Etenim ipsa fuit ei vel maximo incitamento ad operationem mentis producendam: fuit felix scintilla, quae Dantem fecit poetam.[6] Quod palam ipse auctor profitetur tam in canto XXX et XXXI Purgatorii, quam in „Vita Nuova," ubi dicit: „Nullum mihi poetica in arte datum fuisse magistrum majorem nisi me ipsum atque potentem praeceptorem meum amorem."

„..... I' mi son un che, quando
„Amore spira, noto, et a quel modo
„Che detta dendro, vo significando." Purgat. XXIV.-

9. Insuper Dantes agente Beatrice cognovit magnum sibi esse datum natura duce ingenium. Quae notitia revocavit ei in memoriam celeberrimi sui magistri Brunetto Latini praesagium: „eum fore virum magnum", quod audierat, cum adhuc esset puer. Dantem revera persuasum fuisse de magno suo ingenio patet ex variis eius operibus, ubi se optime variis in causis paratum esse ad agendum semper ostendit. Quapropter in omni opere ab initio usque ad finem eadem semper audacia ac gravitate procedit: a passu scilicet ad passum, a circulo uno ad alium, minime anceps de viribus suis nec non arte rem concipiendi eamque perficiendi. Ita e.g. cum cives in negotiis reipublicae gerendis ancipites videret eosque neque ad legationem suscipiendam, neque ad rempublicam moderandam

Cfr 1.) Cantu. Hist. Univers. t. VI, p. 568 etq. - 2.) Вамсонъ. Данте. p. 16. - 3.) Ratione gravitatis. - 4.) P. Bayle. Dictionaire Hist. t. II p. 952 sub nota B. - 5.) Beatricem Portinari extitisse hodie solidissimis argumentis est probatum. Et quidem nata est an. 1267 mense Aprilis, nuptui se dedit an. 1287 - mense Januarii, - obiit tandem 1290 mense Julii. - Korsak op. cit. p. 2-5. - Ozanam, Hettinger aliique. 6.) Korsak op. cit. p. 4.-

paratos indicaret, haec memoranda de se protulit: „.... quis veniet, si manserim, quis manebit si profectus sim? „S'io sto chi via? e s'io vo chi sta?" Deinde cum ingrata Florentia veniam redeundi ei dedit sub conditione solvendae poenae, veniam acul reiecit dicens: „Absit a me, absit ab homine philosophiae dedito illa conditio corrupti cordis, quae mihi suadet more pravorum semiphilosophorum meipsum indignum facere. Absit ab homine, qui iustitiam diligit, illa infirmitas vi cuius iniuste laesus pecuniam solveret eis, qui crimen fecerunt. Hic modus non est via redeundi in patriam. Si alia via ..... inveniri non possit, quae non minuat gloriam Dantis et eius honorem, nunquam Florentiam repetam.... ubicumque voluero, lumen, sidera, solemque aspiciam, ubique sub dio sincerus contemplator (arripientes) veritates, se nobilem Florentiae civem servando, pane non indigebo....."[1] Tanti igitur se existimavit, ut vix aliquis ei hac in re similis inveniri possit.[2] Quod etiam ipse iterum iterumque professus est in canto XXV Paradisi dicens:

„ Se mai contenga, che 'l poema sacro,
„ Al qual ha posto mano e cielo e terra
„ Sì.......................
„ Con altra voce omai, con altro vello
„ Ritornerò poeta, ed in sul fonte
„ Del mio battesmo prenderò 'l capello
„ Perocchè.......................
„ Mi disse: mira, mira, ecco il Barone,
„ Per cui.......................
„ Tacito, coram me, ciascun s'affisse
„ Ignito sì.......................
„ Ridendo allora Beatrice disse:
„ Inclita vita, per cui la larghezza
„ Della nostra basilica si scrisse, 10.
„ Fa risonar la speme in questa altezza
„ Tu sai che tante fiate la figuri
„ Quante.......................
„ Mi venne; ond'io levai gli occhi a' monti
„ Che.......................
„ E quella pia, che guidò le penne
„ Dell mie ali a così alto volo
„ Alla risposta così mi prevenne:
„ La Chiesa militante alcun figliuolo
„ Non ha con più speranza.......
„ Però gli è conceduto, che d'Egitto
„ Vegna in Gerusalemme per vedere,
„ Anzi che il militar gli sia prescritto.[3]

~~Haec alta de se persuasio, ait Vabron,[4] fuit ei veluti optimus magister in cultura mentis. Hac~~

Cnfr 1.) Korsak op. cit. — 2.) Chaudon et Delandine. Nouveau Diction. Histor. t. IV, p. 153. — 3.) Purgator. XXIV. — ~~Dante~~ p. 9.-

Haec alta de se persuasio, ait Watson[1], fuit ei veluti optimus magister in cultura mentis. Hac notitia ingenii fretus poeta semper et ubique vel Catonem se facit vel principem auctorem: Videns e.g. incolas paternae civitatis in negotiis indigne versantes, iudicium de eis severum profert multosque eorum Florentia indignos dicit, gentem nequam saevamque appellat; in libro vero, cui titulus „de Vulgari Eloquentia" primum linguae Toscanorum auctorem audis dicentem: „Cum neminem ante nos de vulgaris Eloquentiae doctrina quisquam inveniamus tractasse"….. (De Vul. Eloq. 1. c. 1.)- Deinde rem sibi sequentem proponit:

„Ultima regna canam fluidoque contermina mundo
„ Spiritibus, quae lata patent, quae praemia solvunt
„ Pro meritis cuicumque suis data lege tonantis."[2]…..

Dein exilio multatus, ut supra monuimus, patriam repetere vult minime tamen sese humiliando, cum eo Florentiam plus, quam ipsum Florentia indigere dicat. Semper igitur Dantem videmus non alium nisi summa de se opinantem eaque audacia praeditum, ut si quid aliquando semel sibi proposuerit, ab eo numquam recedendum esse putaret. Tanta adeoque cum dote se indicasset, non est mirum, quod Italis, et linguam et poesim, et nationem dederit; quam ob causam quisque eorum dicere potest: „Nobis hanc patriam peperit Dantes".

„ O gloria de Latini per cui
„ Mostrò ciò che potea la lingua nostra." [3] Purg. VII.

Persuasio igitur de ingenio sibi dato non fuit effectibus in cultura poetae indolis atque ingenii destituta. Conscientia enim illa reddebat eum in agendo gravem, in rebus adversis fortem, tenacem in propositis tam fingendis quam exequendis, uti postea videbimus, cum ille in republica considerabitur.[4]

10. Tanta porro cum sibi poeta persuaderet de ingenio, intrepide faciem vertit ad opera praedecessorum suorum veluti ad fontes inspirationis, unde sapientiam repeteret. Ex praedecessoribus vero, qui magnam vim in indolem atque ingenium poetae excolendum exercuere, potissimi sunt sequentes. Vergilius, quem adeo coluit Dantes, ut integram eius „Eneidam" memoria teneret ducemque sibi per „Infernum" faceret. Virum hunc auctor „Divinae Comoediae" his celebrat encomiis: O fontem vivum, facundiae flumen, tu poetarum gloria, lumen… clarissime magister meumque exemplar. Tuo in libro thesaurum quaesivi tuoque ex pectore facundiam sumpsi, quae mihi hanc paravit gloriam… te invoco, due me… incitamentum meum meaque audacia. Veniamus: esto magister meus: sentio sufficientes adesse vires… atque ita secutus sum ego poetam eiusque dicendi formam "[5] Deinde praeter Vergilium, Cicero, Boetius aliique latini auctores magistros ~~…~~ in philosophia Toscanorum poetae communicanda se praebuerunt. Quod clare liquet

Confr. 1) Barncourt Dante p. 9.- 2) Schlosser l. c. IX. 442.- Ozanam. Poètes Francisc.- 3) Tarnowski op. cit. passim.- 4) Passerini. La Vita Nuova di Dante con Sommario 1897- pariter epistola eiusdem de d. 29 Decem. an. 1897.- Chaudon et Dalandine t. IV p. 153.- 5) Infr. I, 79-87;- 130-136; II Infr. 7-12; 139-140- Eichhoff. Tableau Litt. p. 392-393.- Hallam. L'Europe t. IV, p. 379.-

ex „Convito" aliisque eius operibus. Ex orientalibus autem multum apud Dantem valuit Aristoteles[1] quem omni et tempore et loco coluit. Sufficit citare „de Origine animae, regiminis fine etc. Opera eius duplici via Danti innotuisse videntur: agentibus cruciferis et eis Orientalibus, qui absoluto concilio Lugdunensi I, II, Orientem repetere renuentes in Occidente manere maluerunt: ut Veccus, Gregorius, Joannes aliique. Quos Itali honorifice exceperunt magistrosque sapientiae Aristotelis sibi fecerunt. Insuper praeter SS. Patres: Augustinum, Ambrosium, Hieronymum aliosque, quorum stententias haud raro poeta citat, multum elegit de visionibus Sti Fursei, Tundali, Fra Alberici aliorumque, qui statum trium regnorum: Inferni, Purgatorii necnon Paradisi pro ingenio suo delinearunt. Qua in re primum locum apud Dantem obtinuisse videntur duo priores fidissimi Irlandiae[2] viri, quorum primus Fursei, 500 ante nativitatem Dantis annis florens, tria illa regna eodem fere modo depinxit ac Dantes.[3] Visiones Fursei poeta facili modo cognoscere potuit et Oxfordiae studiis vacando et Ven. Bedae opera scrutando, ubi appendicis instar visiones S. Fursei legebantur, quin imo actis Sanctorum apponebantur. Facile igitur Dantes eas inde desumere potuit ac revera desumpsit. Quod vero attinet Tundalem hic famosam suam legendam de Inferno, Purgatorio atque Paradiso scripsit 150 annis ante Dantem, quam ex originali lingua irlandica in latinam versit Marco in usum abbatissae Gertrudis (1140). Quae Tundali narratio brevi tempore notitiam obtinuit tota in Europa. Omnes eam avide legebant versionesque procurabant. Horum visionibus delibasse Dantem optime constat tum ex testimoniis virorum doctorum, quam ex analogia instituta inter „Divinam Comaediam" et opera, ubi visiones Fursei et Tundalis enarrantur.[4] Praedecessores igitur Dantis pariter in cultura eius indolis atque ingenii haud parum valuisse tenendum est.

11. Praeterea animadvertamus oportet annum 1300 multum contulisse ad indolem atque ingenium poetae excolendum. Etenim hoc anno mundus Jubilaeum magnum a Bonifacio VIII promulgatum salutavit. Prosperis enim temporibus patriae[5] Dantes pro sanguinolento temperamento suo secutus est exemplum familiae Donati,[6] quae tunc temporis deliciis eminebat. Quod cum poeta faceret, lapsus est in peccata vitiaque. „Sciendum est, ait filius poetae[7], Dantem..... fuisse medio in vitae cursu peccatorem, in vitiis sicut in silva errasse; primis versibus illum se scelerum accusari, quod scilicet carnaliter vixerit!" „Somnium de quo ipse loquitur esse eius vitam peccatis deditam..... verum quam primum eum pervenisse ad montem h. e. cum gratiam verumque cognovisset amorem, statim miserae huic vitae renuntiasse." Et revera habemus in Purgatorio confitentem reum.[8]

Cnfr 1.) Ginguené. Hist. Litt. t. II, p. 70 – 2.) Quae regio antiquitus disciplinarum apparatu omnibus Europae plagis exemplo erat culturae. Vide „The Dublin Review" v. 119 nr 239 p. 343 art. VIII an. 1896. – 3.) Cong. The Divina Comedia pref. 1812; Kopitsch Div. Com. 1842; Revue des deux Mondes 1843; La Div. Com. avante Dante par Labitte. – 4.) The Review sup. cit.; – Ginguené op. cit. t. I p. 489–490; t. II p. 26–28 etc. – 5.) Inf. V et Parad. XVI; Hillebrand op. cit. p. 73. – 6.) Purg. XXIII, XXIV etc. – 7.) Comentar inedit de Giacopo fil. Dantis! Bibl. royale nr 7765 – 8.) Purg. XXI, tercet 42 etc. –

„Sì tosto come in sul la soglia fui
„Tanto giù cadde, che tutti argomenti
„Alla salute sua eran già corti,
„Fuor che monstrargli le perdute genti.[1]..
„Piangendo dissi: Le presenti cose
„Col falso lor piacer volser miei passi
„Tosto che 'l vostro viso si nascose.[2]

Qui verus secundum commentatores[3] die 4 Aprilis Hebdomade sancta anno 1300 Infernum petiit, unde egressus est die Paschatis. Eodem anno Hebdomade Sancta Dantes mediam vitae periodum absolvit.[4] Causa vero, quae poetam moribus hucusque perditum ad Confitendum et Infernum petendum movit, alia non fuit nisi Annus Iubilaeus, quem die 22 Februarii anno 1300 Bonifacius VIII Pontifex Maximus promulgavit: Omnibus „ad Basilicas accedentibus reverenter, vere poenitentibus et confessis vel qui vere poenitebunt et confitebuntur in huiusmodi praesenti et ~~quoli~~ quolibet centenario secuturo veniam peccatorum concessit."[5] Laetum hoc nuntium, inquit Oxanam[6], totum orbem christianum pervasit sicut fulgur. Deinde quotidie Romam milia hominum petebant variis ex plagis mundi: ex Hispania, Anglia, Gallia, Hungaria aliisque regionibus." Quisque S. Civitatem adire volebat, ut veniam delictorum ibi mereretur. Parentes filios, filii parentes Romam ducebant, sani claudique eam petebant; ubi in plateis castrametati civitatis faciem mutabant. Roma tunc temporis plus quam 2,000000 hominum varii generis, aetatis conditionisque vidit.[7] Inter quos haud pauci erant viri litterati magno ingenio praediti. Cuius rei exemplum nobis dedit Ioannes Villani, concivis Danti atque coaetaneus, qui postquam Romam cum aliis peregrinis repetiit, ita refert: „E trovandomi io in quello benedeto pelegrinaggio nella santa citta di Roma veggendo le grandi e ~~antique~~ antiche cose di quella, e leggendo le storie e gran fatti d' Romani scritte per Virgillo et per Sallustio, Lucano, Tito Livio etc presi lo stile e la forma di loro"...[8] Iubilaeus igitur I. Villani natione Florentinum commovit atque inspiravit ad scribendum. Idem omnino tenendum est de altero etiam viro magno eiusdem temporis ac nationis: de Dante scilicet Alligherio, qui sub initio eiusdem anni 1300 agentibus Florentiae Guelfis legationem ad Romanum Pontificem suscepit.[9] Quod facili etiam negotio intelligitur ex canto XXXI Parad. et canto XVIII Inferni, ubi se testem oculatum ~~et~~ urbis Romae peregrinorumque prodit dicens: Romam eiusque monumenta barbaras Scithorum gentes admirari, pios peregrinos genuflectere coram portis Lateranensis Ecclesiae...., ordinem a Romanis esse statutum, quomodo peregrini iter facerent per pontem S. Angeli etc.

„Come i Roman per l' esercito moto,
„L' anno del Iubileo, sù per lo ponte

Cnfr 1.) Purg. XXI – 2.) Purg. XXXI – 3.) Super canto XXI Infr. praesertim. – Vide Dissertationem P. Pianciani, quae invenitur pariter in „Annali delle scienze relig. de Roma; Di una nuova opinione intorno all' anno in cui Dante finge" d'aver fatto il suo poetico viaggio" – 4.) Oxanam. Sources poétiques de la Div. Com. p. 359 etq. – 5.) Bulla Iubilaei Bonif. VIII. – 6.) In cit. op. p. 360 – Sources poet. – 7.) Oxanam. in cit. op. p. 360. – Raynaldus. Annales eccl. cont. an. 1300 – 8.) Giovanni Villani ad an. 1300 Lib. – 9.) Certum exploratum hodie est Dantem pluries legati munere auctum Romam venisse. Vide hac in re: Balbo. Vita di Dante, Dante in Patria X. – Passerini op. cit. – Cantu Hist. Univ. t. VI. p. 565 etq. – Pelli. Memorie, – Oxanam op. cit. Sources p. 355 etq. – Korsak op. cit. – Perperam ergo auctor „Encyklop. wiel. Ilustr." Warszawa 1895 aliique nonnulli commorationem Dantis Romae in dubium vocant. –

„Hanno a passar la gente, modo tolto.
„Che dall' un lato tutti hanno la fronte
„Verso il castello e vanno a San Pietro,
„Dall' altr a sponda vanno verso il monte....

Quae omnia Dantem tempore Iubilaei fuisse Romae luculenter probant. Tot milia eo tempore illa in civitate hominum, ait quidam historicus, ad suum iudicem venisse videbantur velut in valle Iosaphat, ut poenitentiam apud limina SS. Apostolorum agerent, tantus eorum gemitus luctusque, tot fuerunt sermones ad eos habiti, qui aeternas res eis in mentem revocabant et ita iudicium divinum minabantur, ut virum fortissimum arriperent eumque poenitentem facerent. Cuius rei documento sunt item multi hoc anno conversi, quibus accensendus est etiam Dantes, celeberrimus Toscanorum poeta, qui exemplo poenitentium commotus ad pedes poenitentiarii magni procumbens secretaque cordis ~~ei~~ sui ei pandens absolutionem veniamque peccatorum ab eo recipere meruit.[1] Haec poetae conversio est gravissimum momentum in eius vita, momentum lacrymarum, gemitus victoriaeque summae. Ab hoc momento ~~p~~ repetenda est idea „Divinae Comaediae", ubi tristitia a primo versu usque ad ultimum perspicitur. ~~Ab~~ Iubilaeus igitur (1300) Dantem moribus renovavit atque animum ad superiora riduxit. Mors Beatricis Dantem primum inspiravit, tunc enim postea visione raptus dixit: „facturum se esse heroidi suae, quod nemini unquam factum fuisse".[2] Propositum tamen hoc usque ad annum 1300 vitiis oblitteratum neglectumque velut gratiam Dei fuisse patet. Iubilaeus vero an. 1300 illud propositum poetae iterum iterumque renovavit. Iubilaeus igitur an. 1300 multum ad indolem atque ingenium poetae excolendum contulit auctoremque eum fecit operis „Divina Comaedia", ubi poeta non tam genium suum, quam potius vocem conscientiae, fidem suam populique proposuit atque omnes certiores fecit non solum de dogmate verum etiam de traditione, quae ei Infernum, Purgatorium nec non Paradisum fabulis, figuris, visionibus aliisque rebus depinxit.[3]

12. Cum porro Dantes ad maturam aetatem pervenisset operibusque scribendis et studiis philosophiae ob mortem Beatricis vacasset, Florentia eo tempore, quam summo poeta amore prosecutus est, in peius vergere caepit. Nam factiones politicae eam delacerabant. Quae factiones Guelfos inter et Gibellinos, quorum primi Pontificis, alteri Caesaris partes tuebantur, antea, ut diximus, ~~a~~ agentibus filiis S. Dominici et S. Francisci erant sopitae, verum nunc nova cum atrocitate exarserunt.

Cnfr 1.) Purgat. IX – et passim. Karl Hillebrand. Etude sur l'epoque de Dante p. 296.– 2.) Vita Nuova. Cantu. Histoire Univers. loco cit.– 3.) Ozanam. op. cit. „Sources poet."– Korsak cit. op. in Proemio.–

sequentes ob causas. Incolae civitatis Pistuae, quae fuit in confiniis Florentiae, diu rixis pugnisque vexati tandem duo in castra sibi opposita abierunt: Alborum scilicet et Nigrorum. Quaevis harum factio sibi patronos apud dissitam hisce temporibus rempublicam Florentinam quaerebat. Et profecto Albi auxilium sibi invenerunt Florentiae in familia Cerchi, cuius princeps erat Vieri; eodem tempore Nigros tutandos suscepit familia Donati, ubi principem tenebat locum Corso.[1] Illis brevi post Gibellini Florentiae sese addixerunt, his vero Guelfi nomen dederunt. Unde Florentia amantissima poetae civitas iterum ob Pistuam duas in partes sibi adversas abiit magnumque in civitate discrimen ~~paruit atque ita~~ apparuit, quod passim passimque in atrocissimum certamen prorupit atque ita gerebatur, ut fundamenta reipublicae periclitarentur. Gaudium, ait Villani, versum est in amaritudinem. Quod cum videret Dantes amore patriae ductus ad pacem ei procurandam iustitiamque unicuique reddendam omissis disciplinarum studiis ad res publicas suae civitatis tractandas accessit. Anno 1289 armata manu libertatem patriae defendit aciemque pugnae ad Campaldino hanc ob causam iniit, ubi cum inimicis (Gibellinis) strenue certans, consilio nec non exemplo sibi aequales fortificans sagacem invictumque ~~athl~~ athletam se ostendit. Anno vero 1290 duce Guidone acriter pariter pugnavit, ut impetu arx Caprona expugnaretur.[2] Deinde die 5 Julii anno 1291 consiliarius reipublicae electus mox ad pacem Florentiae procurandam accessit tum per legationes[3] pro variis patriae negotiis, tum per exhortationes ad unitatem ac concordiam; inter cives hoc in munere indefessos labores ostendit, ubique teste Boccaccio gravissimas reipublicae res sagaciter solvendo magnamque sibi gloriam merendo. Quod cum viderent cives, die 8 mai Anno 1299 respublicas ei cum aliis Toscaniae civitatibus commiserunt tuendas. Deinde anno sequenti de 15 Junii (1300) Dantes summum Florentiae regimen obtinuit, cum inter priores reipublicae se vidit, quo tamen munere nonnisi quatuor mensibus ei fas fuit fungi: inopinate enim inter principes Florentiae duces atrox ortum est dissidium, cui intricatus fuit etiam Dantes, quamvis invitus. Etenim Guelfi inter se divisi in Albos scilicet et Nigros ducibus hinc inde creatis dirum certamen inierunt. Quo tempore Dantes tam propter familiares causas, quam etiam propter majorem iustitiae culturam[4] Alborum partes suscepit.

Cnfr. 1.) Ex hac prosapia Dantes sibi uxorem duxit Gemmam. Karl Hillebrand op. cit. p. 312-317. – 2.) Hoc in certamine iuxta quosdam auctores conceptum sibi fecit cantandi mortem Ugolino, qui fame periit. – 3.) Quot legationes pro salute Patriae Dantes susceperit, varii varie referunt. Probabilior est sententia, quae 14 admittit. Ex eis certae sunt: ad Rempublicam S. Geminiano 1291; ad Carolum II regem Neapolit. 1295 et ad Rom. Pont. circa an. 1300. – Cnfr. pariter: Cantu. Hist. Univers. supra cit. – Korsak op. cit. – Życiorysy znakom. Ludzi T. I p. 69-86. – Passerini. La Vita Nuova in proem. – 4.) Вашконъ. Данте/его деятельность p. 24. –

~~te~~ tuendas aciemque pugnae ruit contra Nigros et Gibellinos, quibus devictis duces eorum exilio punivit Albosque in republica primos constituit. Hanc ob causam summam Nigrorum invidiam contraxit. Deinde an. 1302 Dantes iterum in republica apparuit inter consiliares omnibusque suasit (die 19 Julii), ut Florentia 100 milites, quos Pontifex Bonifacius VIII auxilii causa postulabat, denegaret. Quo tamen consilio minime potuit evincere id quod voluit. Consilium enim eius ab aliis reiectum fineque privatum brevi tamen post fuit causa accusationis poetae. Siquidem multi ~~eum~~ eum perturbatorem pacis exilio dignum dixerunt. Cum scilicet factio Nigrorum viribus minor devicta esset, convertit se ad Bonifacium VIII Pontificem auxilii obtinendi causa eumque rogabat ut Carolum Valesium, fratrem Galliae regis Philippi Pulchri tunc Romae commorantem Florentiam sibi auxilio mitteret, qui pacem in civitate restitueret factionesque cohiberet. Quae cum audiret Dantes precibus apud „Signoriam" instabat, ut legatos Romam ad Pontificem mitteret, qui Pontificem impediret, quominus Carolum aliosque Florentiam mitteret. Bene enim vir magni ingenii intelligebat, quae mala reipublicae cum adventu Caroli Valesii imminere possent si forte dux ~~eum~~ ille Florentiam veniret. „Signoria" obsequens poetae misit eum legati munere decoratum Romam. Hoc tamen non obstante Bonifacius VIII Pontifex precibus Nigrorus ductus, cum tractas Florentiae factiones existere audiret, Carolum Valesium ~~rogavit~~ vocavit ut in hanc pacandam civitatem pergeret[1]. Hic (die 1 Novembris an. 1301) Florentiam venit, iuramento prius civibus praestito legem reipublicae integram servandi. Minime tamen hisce propositis stetit, cum in animo haberet non tam componere civitatem, quam potius auxilium Nigris ferre et pecuniam undique a civibus extorquere. Et revera Valesius patronum Nigris se praebuit pecuniamque colligere studuit. Eodem pariter tempore Corso Donati, qui aciem Nigrorum tenuit igne ferroque Albos ~~supp~~ oppressit, eorum bona fisco addixit, iure magistratus privavit multosque eorum in ius vocatos poenis variis plexit; deinde in locum Alborum substituit Nigros, qui an. 1302, 600 albos vel exilio multarunt vel morte damnarunt; eandem sortem celeberrimus etiam Dantes expertus est, fraudibus toto tempore Romae ~~det~~ retentus decreto de die 27 Ianuarii accusabatur uti reus variorum machinationum contra Bonifacium VIII et Carolum Valesium. Quapropter poena 8000 florenorum in eum statuta est posita conditione, si intra triduum statutam summam non solveret, fore, ut omnia bona eius fisco adderentur, ipse vero exilio puniretur iureque reipublicas moderandi in perpetuum privaretur. Deinde d. 10 Martii novo decreto poenam ignis in eum statuerunt, quam nonnisi solertia sua declinavit. Lugendus tunc temporis status fuit reipublicae. Moderatores eius Nigri iustitiam parum curantes veluti civitatem inimicorum

---

Cfr. 1) Pierre Bayle. Dictionnaire. Hist. t. II p. 953 sub nota C.—

spoliabant, omnes sibi esse adversos suspicabantur eosque carcere, exilio aliisque poenis damnabant. Quod cum videret Dantes extra patriam degens eiusque recuperandae impar, omnibus vale dixit, philosophiae solatii causa operam dedit eo cum exitu, quod Guelforum principia (regimen) solidis argumentis destituta inveniret. Quam ob causam animum mutavit nomenque potius Gibellinis dedit. Unde factum est, quod abhinc et ore et opere non aliud regimen nisi monarchiam esse fundandam omni tempore ad dies vitae profiteretur veluti summus Caesaris patronus atque propugnator. Quod systema culte proposuit in opere, quod inscribitur: „Tractatus de Monarchia". Caeterum quamquam Dantes modo Guelfus, modo Gibellinus dicitur, revera tamen neque his neque illis prope accedit, cum prae oculis nonnisi iustitiam habuit atque felicitatem patriae. Hanc ob causam ipse multa vitae humanae adversa est passus, quae in cultura eius indolis atque ingenii haud parum valuisse nemo negabit. Res enim adversae simul ac factiones intima ei reipublicae aperuerant sagacemque eum politicum nec non exulem plures per annos fecerant atque multum poetae contulerunt ad immortalia opera producenda veluti „Divinam Comoediam" et „Tractatum De Monarchia".

13. „Exilium vero Dantis fuit veluti schola probationis poetae et inspirationis. Etenim genium eius ibi acuebatur, notitia rerum augebatur ferebaturque non obstantibus impedimentis ad immortalia, longe distans animo a principio Gibellini Farinatae degli Uberti: „Potius mori, quam durum exilium pati."[1] Dantes decreto iniusto patrio pulsus, agendi ratione privatus, a factionis variis semotus, superius iudicio ascendit, quam antea: politicum systema, quo omnes salvarentur, elaboravit illudque incontentis obominibus imponere studuit. „Patria pulsus, ait auctor Divinae Comoediae[2], veribam errans atque mendicans fere per omnes regiones, ubi extenditur haec lingua, indicans contra voluntatem meam vulnus fortunae, quod saepe numero imputari solet ei, qui illud iam patitur. Fui veluti navis, quae sine puppe gubernatoreque de portu ad portum, de littore ad littus movetur arido turbine, quem dura paupertas exhaltat". Hanc ob causam vates in exilio tanta ira inflammatus erat contra Guelforum factiones, ut „omnem vel etiam feminam omnemque puerum, si forte disseretetes de Guelforum rebus audiisset, eosque Gibellinis adversos vidisset, lapidibus opprimeret, nisi os suum cohiberent."[3] In exilio Dantes hinc inde refugium modo apud Guelfos modo apud Gibellinos quaerens totam Italiam peragravit Lutetiamque Parisiorum petiit, ubi theologiam atque philosophiam mature cognoscendam curavit. „Fuit Dantes, inquit Joannes de Serravalle, baccalaureus in universitate Parisiensi... et fecit omnes actus, qui fieri debent per doctorandum in Sacra Theologia."[4] Deinde Lutetia Parisiorum Italiam repetiit spe paternam

---

Cnfr. 1) K. Hillebrand op. cit. p. 41; – Inf. X, 85; – XXXII; – Villani. VI, 82; VII, 9; – Schlosser Dante St. 138–139. – 2) Convito I. 3; – Cantu. Histoire Univers. t. VI, p. 567. cfr. – 3) Convito loco cit. – Boccaccio. Vita etc di Dante. Cantu. op. cit. supra; – Bähr. Dante's Göttl. C. nach Raum und Zeit. p. 5. – 4) Muratori. Antiquit. Ital. I, p. 1036; – Hettinger. Göttl. Com. p. 60 nota 35. –

civitatem ingrediendi fretus vel precibus vel armata manu, quod tamen evincere minime potuit, cum longe animo esset, ut se coram ingratis Florentiae civibus humiliaret, quapropter exul Ravennae supremum diem obiit.[1] Durum hoc poetae exilium opportunam ei occasionem dedit probe cognoscendi atrocissimum illud certamen inter temporales res et immortales: inter caduca et aeterna. Insuper ira, qua contra factiones flagrabat, tristis Italiae status intestinis bellis prosecatus, eius miseria, quam veluti manu exul attegit, ingratus aliorum animus, iniustitiae, fraudes aliaque id genus bene multa Dantem rigidum in iudicando, fortemque in verbo atque opere fecerunt; vastam ingenii operationem produxerunt, verumque philosophum ac vatem independentem ejecerunt. En, effectus exilii! Merito ergo dicit Iovius: „Exilium vel toto Etruriae principatu ei maius et gloriosius fuit, quum illum sub amara cogitatione excitatum occulti divinique ingenii vim exacuerit et inflammarit. Enata siquidem est in exilio Comoedia triplex Platonicae eruditionis lumine perillustris, ut abdicato patria totius Italiae civitate donaretur.[2]

14. Nisi porro mirabilis Italiae natura accessit. Cum enim poeta exul iter per Latinorum patriam faceret, multa huiusque inaudita cognovit. Etenim vidit pulchros hinc inde Italiae montes, qui altitudine inter se certabant atque a ripa Tiberis ad Appenninorum usque acumen sese extendebant; vidit facundissimos agros ad Alpes, densissimas silvas, lapidicinas rapidissimis cum torrentibus. Ubique ei obviam ibant: campi dulcissimo odore spirantes varias ob plantas ut lilia, rosas, neria, oleastros, lauros virentes ac frondentes, altissimae arbores, ut quercus, populi aliaeque, quae aestu solis defatigatos mortales sub umbra sua recreandos recipiebant. Pulchra igitur Italiae natura poetam magnificentia sua ubique rapiebat admirationemque in eo excitabat; Deum esse Omnipotentem Optimumque, hominem vero nonnisi ingratum dicere videbatur. Antiquae civitates Umbriae, ut Narni, Terni, Amelia, Spoleto ceteraeque vel saxis montium suspensae vel vallibus circumdatae classicis auctoribus palmisque Sanctorum gloriosae Danti se exhibuerunt, paradisi instar notam habentes. Talis Italiae natura cum esset, magnum influxum in poesi excolenda semper habuit. Unde mirum esse non debet, quod poetarum patria dicatur. Eo majorem haec res auctoritatem in pectore auctoris „Divinae Comoediae" habuit, quod cum natura duce magno viriloque ingenio praeditus esset, vix aliquis locus ab eo praetermissus fuit, qui poetam non pelleret ad altiora rimanda. Viridum igitur vatis ingenium patriae aspectis se delectando continuo operabatur atque ita optime se praeparavit ad realia iungenda cum idealibus. Exilium ideoque itineraque suscepta per Italiam, calamitates personales, politicae Statorum factiones, ingratus aliorum animus, studium philosophiae et theologiae, memoria Beatricis, ubique veluti ex oculis nascentes artes earumque patroni, viri valde periti architecturae, picturae

Cfr 1.) Refectus Sacramentis S.R.C. Ecclesiae. Rohrbacher t. XII p. 170. – 2.) Elogiorum c. IV p. 19. – Bullart. Academie des Scienc. t. I, p. 307. –

aliarumque id genus, ubique vita nova, animus scientiae cupidus ardorem poetae probarunt eumque moverunt, ut iudex virorum mortuorumque evaderet unicuique iuxta merita vel ad Inferos, vel ad Superos, vel ad Purgatorium locum decerneret in immortali suo opere, cui nomen „Divina Comoedia."

15. Insuper praeter illa adiuncta, quae supra monuimus, ad indolem atque ingenium Dantis excolendum vel maxime contulit ipsum tempus, quo floruit poeta. Etenim aevum, quo Dantes vixit, fuit aurea aetas, epocha transitoria. Providentiae divinae viae et libertatis humanae cognatus historia teste aliquando ita se mutuo complent, ut plane mirabilia producantur omniaque anteacta renoventur. Haec animorum unitas non obstantibus variis individuis veluti vox Dei omnia certas ob causas mutat ac dirigit certum in finem[1]. Eo tempore instituta politica cadunt sub quodam impulsu tenduntque proprium sibi in finem non obstantibus quibuscunque impedimentis. Quae temporis periodi a doctoribus transitoriae aetates vel turbulentae dicuntur. Hisce indole sua saeculum XIII adnumerandum est. Ecclesia Christi quamvis fundamento suo sit inconcussa mutationisque expers, hoc tamen aevo modum agendi in rebus temporalibus mutavit. Bis in arenam progressa certaminaque cum Friderico II aliisque inita ad libertatem suam defendendam, sponsa Christi reipublicae tuendae nuntium misit, cum gentes suas ad causas earum profanas promovendas sufficienter paratas videret. Deinceps Ecclesia dominio spirituali acquievit maturiusque sanctitatem hominibus procurandam suscepit. Quod ut facilius obtineret, quattuor concilia oecumenica celebravit. Lateranense, duo Lugdunensia, Viennense, ubi dogmata fidei morumque principia pressius definivit; disciplinam lapsam restituit. Quattuor porro Ordines sacri brevi antea fundati: s. Dominici scilicet, s. Francisci, s. Augustini[2] atque B. V. Mariae de mercede salubrem ubicunque locorum influxum in societatem exercentes in cultura promovenda et misericordia facienda tales assecuti sunt effectus, ut idea religiosa certamine principum postposita integras familias earumque conscientias penetraret, nec non diversas virtutes, exempla sanctorum produceret. Quo sub respectu saeculum XIII celeberrimum habeatur oportet. Sufficit enim hac in re citasse S. Thomam, S. Bonaventuram, S. Ludovicum, S. Antoninum etc. Status politicus fere ubique tristis erat: bella et tumultus mortales vexabant. Italia, ut supra iam monuimus, duas in partes divisa fuit: Guelfos et Gibellinos, quarum una", ut Muratori[3] „pars vocatur Ecclesiae, altera vero Imperii modo una vocatur Guelfa, altera ~~vero~~ autem Gibellina"." „Bellis civilibus flagrabat Italia, inquit Natalis Alexander[4] antiquis Gibellinorum et Guelforum novis Albororum et Nigrorum Pistorii exortis factionibus, crudeliter scindebatur." Hi Caesaris potesta- ab Ecclesia independentem esse contendebant, illi vero

Cnfr. 1.) K. Hillebrand op. cit. p. 344 sqq. — 2.) reformatus ordo fuit. — 3.) op. cit. t. XII–276. — 4.) Historia Eccl. t. XV, p. 72 sqq. —

contra libertatem civitatis sibi procurantes, auctoritatem Ecclesiae plus aestimabant, quam imperii. Unde factum est, ut quicunque partes Imperatoris suscepisset, Gibellinus diceretur, qui vero Ecclesiam defenderet, nomen Guelfi sortiretur. Hanc vel illam partem propter ipsam indolem illius temporis quisque amplecti cogebatur. Quod potissimum in Septentrionali Italia valuit, ubi atrox certamen tempore Friderici II inter imperium et Ecclesiam eo devenit, ut altera civitas contra alteram pugnaret, alia vero familia contra aliam propter diversa placita armaretur. Mortuo autem Friderico II Italia se subtraxit Germaniae, factiones tamen ulterius processerunt. Romae, ait Holzwarth, patricii cum plebeis certabant[1]; principes Siciliae cum Romanis Pontificibus inimicitias gerebant[2]; Mediolanam civitatem sanguine perfundebant pugnae Guelforum et Gibellinorum; Paduae tyrannidem exercebat Ecelinus; Carolus Anjou in Sicilia, Neapoli aliisque infelicis tormentis dabat suos adversarios nemini parcendo.[3] In Germania mortuo Friderico II principes imperii habenas tenentes bellum contra regem susceperunt, qua de causa incolae in duo sibi adversa castra divisi mala sibi parabant, quae deinde fame (1314-1316) augebantur.[5] In Hispania saeculo XIII bellum cum Mauris atque Saracenorum copiis acriter gerebatur. In Gallia sub Ludovico IX (1215-1270) omnia prospere cedebant. Rex iste omnibus palam ostendit se addictissimum Ecclesiae filium esse optimumque reipublicae moderatorem. „Nemo fuit" ait Joinville[6] „qui tam sancte ab initio vitae usque ad ultimum halatum viveret, nisi Ludovicus IX." Gallia sub eius auspiciis floruit; verum post eius obitum facies rei mutata est.[7] Slavorum gentes eodem tempore a Tartaris persequebantur. In Africa saec. XIII postquam duae ultimae cruciatae expeditiones finem infelicem habuerunt, munitissimae tam in Palestina, quam in Africa civitates de manibus antea ereptae ethnicorum iterum periculo exponuntur. Sacrum imperium Romanum ob crimina Hohenstaufforum convulsum ac dispartitum a gentibus iugo Imperatorum inimicis oppugnatur, quae brevi post de limitibus disputare inter se coeperunt. Optimates vero feudorum pristino dominio suo non contenti variis in negotiis pugnant cum regibus, qui hanc ob causam apud clerum populumque auxilium sibi quaerunt. Unde vel regia potestas vel reipublicae vel parlamenti constitutio oritur atque firmari videtur. Consuetudines interea locales principem locum obtinent postposita lege Imperatorum. Novus oritur multis in locis codex novique legio exequendae ministri, magistratus. Ideoque cultura iuris magis magisque crescit; omnes studiis iuris operam dant, ut maiorem legis peritiam acquirant. Hoc tamen non obstat, quominus Theologia praesertim inter diversas disciplinas colatur. Eodem XIII saeculo itinera suscepta a Marco Polo, missiones a Franciscanis institutae in Septentrionali Asia, inopinatus Genuensium nautorum adventus ad littora Canariensium insularum, recens inventus usus magnetis, lunettarum, pulveris tormentarii aliaque id genus nova ita omnes ad disciplinas tractandas moverunt,

Cnfr 1.) Historya Powszechna t. IV, p. 456 sq. — 2.) Ibidem. — 3.) Eodem tempore supremum diem obiit violenta morte Conradinus, qui ultimus fuit e familia Hohenstaufica. — 4.) Eichhoff. Tableau de la Litt. p. 385. — 5.) Eichhoff ibidem — 6.) Histor. de Ludovico IX. — 7.) Eichhoff. Tableau p. 387. —

ut variis in locis diversae scholae minores maioresque erigerentur, ubi vel generalis vel specialis doctrina auditoribus proposita est; ad quam probe cognoscendam insignis ubique locorum studiosorum varii generis, aetatis conditionisque numerus disciplinis vacabat adeo, ut intra parietes scholarum verba magistrorum saepe saepius minime ab omnibus excipi potuissent. Quod cum gereretur artes liberales mirum in modum processerunt. Tempus igitur non iam inspirationis quaerendae, sed omnia perscrutandi venisse videbatur. Etenim poesis „donna gentile, del bello stile," adhuc in usu poesi vel Allegorica vel Satirica vel didactica [1] commutata est. Prosa vero vernaculae linguae grammaticam statuit, collegitque facta ad legem firmandam historiamque scribendam. Architectura Gothica ad culmen splendoris perducta quaerit, quae forte perdiderit integritatem styli custodiendo. Pictura autem et sculptura hucusque intra certos tantum limites tractata praeeuntibus ducibus: Cimabue, Giotto, Oderisi da Gubbio aliisque iam vitro animando et basilicarum angulis ornandis delectatur, sed derelicta antiqua forma, nova opera, tectoria (fresques) dicta producit ornatque collegia, sepulchra, palatia. Tunc temporis Florentia celebri aedificio „Signoria dicto [2], artificiosi baptisterio [3] aliisque rebus ornata est. Illa nonnisi felici aetate Florentia peritis proposuit, ut primam in orbe terrarum cathedram aedificarent „Santa Maria del Fiore" [4]. Eodem pariter tempore celebres ecclesiae ut „Santa Croce," „Sponsa Michaelis Angeli," „Santa Maria novella" extructae sunt. Commercium porro saeculo XIII agentibus hinc inde cruciferis ad remotas gentium regiones pervenit et novis maritimis viis crescit. Industria vero manuum apud oppidanos, agricultura autem apud feudorum principes in dies mirum profectum faciunt. His causis agentibus philosophia quiescere haud potuit. Etenim generalis in orbe terrarum motus vel solitudines attegit, omnesque ad profundius contemplandum commovit. Magni eventus semper magnos contemplatores producunt, ita pariter res se habuit et saeculo XIII. Eventus eius magni multos philosophos genuerunt, qui aliam viam, diversam a pristina, allegoriarum scilicet atque subtilitatum ingressi sunt. Cum vero studium hoc philosophiae et theologiae prospere evolveretur, apparuerunt magni disciplinarum patroni ut Innocentius IV, qui sollicitudinem suam extendit ad omnes scholas easque privilegiis auxit; Urbanus IV, qui Romae S. Thomam magistrum fecit, ut physicam morumque principia studiosis proponeret [5]; Clemens IV, qui Rogerii Baconis aliorumque doctorum summus patronus fuit; Innocentius V, Ioannes XXI aliique Pontifices illius temporis bene de philosophia, theologia, iure aliisque disciplinis sunt meriti. Horum exemplum secuti sunt multi principes saeculares in promovendis disciplinis ut Fridericus II, cuius opera non obstantibus bellis haud pauca Graecorum Arabumque exemplaria

---

Cfr 1.) Ozanam. Op. cit. Sources poet. – 2.) Nunc illud appellatur: „Palazzo Vecchio". – 3.) Andreas de Pisa – elaboravit. – 4.) Cuius fundamenta posuit an. 1298 – Arnolfus. – 5.) Hic Pontifex in deliciis habuit adesse coetui Cardinalium, cum de philosophia disputarent. –

- (Occidentalibus) procurata sunt; Robertus, rex Neapolitanus, qui summo opere disciplinas colebat; Alphonsus Castiliae rex, Ludovicus IX Galliae rex etc, qui disciplinas atque viros ingenio magnos privilegiis et honore sunt prosecuti. Horum enim sub auspiciis floruerunt Albertus M., S. Thomas, Dunscotus, Raymundus, Vincentius de Beauvais, Egidius Colonna, S. Bonaventura etc. notatu digni.[1] Saeculo XIII quamvis Ecclesia Christi et Imperium saepe inter se certarent, in disciplinis tamen tutandis et promovendis mutuo se adiuvabant, variaque studiosis atque doctis privilegia concedebant. Varias inter huius aevi doctrinas principem locum tenebat Theologia, quae licet, Berengario[2] eiusque patronis iam dudum devictis, philosophiam sibi ancillam fecerit, verum tamen brevi post circumstantiae mutatae sunt. Etenim saeculo XIII occidens in cultura mentis magnum Orientis influxum subiit. Multa opera Arabum, Iudaeorum aliorumque Orientalium: tractatus, compendia medicinae, astronomiae philosophiae, mathematicae, opera cabalistica etc tam originaria quam versiones iterum iterumque in latina lingua procurata sunt occidentalibus. Omnibus igitur aperti sunt fontes orientalis sapientiae. Insuper saeculo XIII atrox certamen ortum est inter ipsos Theologos. Patroni videlicet S. Thomae pugnam inierunt cum Scotistis: hi nullum dogma probari ratione contendebant, illi vero contra tenebant non omnia, sed multa dogmata ratione probari posse dicebant. Scotistae propius ad mysticismum accedebant quam Thomistae. Saeculo XIII mysticismus ubique multos patronos habuit. Ad eum enim amplectendum non solum ii confugerunt, qui humanam rationem imparem esse ad religionis veritates cognoscendas dicebant, verum etiam omnes, quibus arida, formis variis intricata Theologia Scholastica minime satisfacere videbatur. In genere dicendum est, neminem fuisse saeculo XIII doctum, qui mysticismum fovere non videretur: quinimo quo quis maiorem mentis culturam habuit, eo magis mystica scientia delectabatur. Omnes tunc temporis in rebus naturalibus supernaturalia quaerebant, in visibilibus, invisibilia, arcana videbant. Hoc modo cum omnia amplecterentur a viris litteratis, mirum non est, quod intellectus humanus intenderetur in vitae futurae arcana detegenda. Hunc in finem fere omnes tendebant conabanturque, ut vinculum visibiles inter res et invisibiles seu naturalem inter vitam et supernaturalem ostendi posset. Unde repetendus est tam frequens usus symbolorum, coniecturarum, figmentorum apud auctores saeculi XIII. Quod attinet religionem, haec saeculo XIII apud gentes Christianas floruit firmosque in societate radices habuit, quapropter specialis illius aevi nota consistit in summa „religiositate" „si ita fas est loqui. In omnibus enim illius aetatis operibus nemo non videt bonum aeternum alterius vitae depictum.[3] Quae religionis idea altius in pectore hominum firmata est, cum ordines sacri alii reformati, alii recentibus temporibus fundati culturam cordis mentisque susceperunt. Hac in re duo potissimum ordines valuerunt, S. Dominici scilicet et S Francisci, de quibus iam supra monuimus. Ordo S. Dominici magnos genuit saeculo XIII scholasticos inquisitores; ordo vero S. Francisci

---

Cnfr 1) Ozanam. Poetes Francis. cit. loco et Sources poet. — 2) Qui principium S. Anselmi: „Credo ut intelligam," in periculum vocavit contrarium asserendo. — 3) D'ancona. I precursori di Dante. — Florentia. 1874. —

implacabiles produxit persecutores vitae mollis, deliciis saeculi deditae.[1] His tamen non obstantibus exeunte saeculo XIII morum corruptio magna fuit clericos inter et laicos, cuius rei multae sunt causae, et quidem atrox certamen inter Ecclesiam et Imperium, haereses Albigensium, Valdensium; translatio sedis Apostolicae Avenionem; enervatio disciplinae tempore, quo expeditiones cruciatae suscipiebantur et sic porro. Principes praeterea Ecclesiae eorumque subditi potius temporalibus rebus quam spiritualibus vacabant. Quam ob causam haud pauci severioris vitae homines utriusque reipublicae statum deplorabant, clerum carpebant, Ecclesiae potestatem, politicam Pontificum rationem aegre ferebant, privilegia cleri minuere conabantur.[2] Unde repetenda est aperta clero inobedientia, audax laicorum voluntas Ecclesiae principibus contradicendi poenas pro nihilo habendi ut excommunicationem, suspensionem, interdictum etc. Incolae e.g. Perugiae anno 1282, legati Philippi IV vel Bonifacio VIII Summo Ecclesiae principi irridere haud verebantur. Barones Angliae eidem Pontifici sua iura opposuerunt; hos imitati sunt haud pauci principes Galliae, Germaniae sub fine saeculi XIII. His agentibus ineunte saeculo XIV in medium prodiit scepticismus. Siquidem multi in Gallia, Italia alibique apparuerunt homines malo spiritu afflati, qui vel ipsam religionem aggressi sunt, debitum eidem honorem negando atque in discrimen et existentiam Inferni et aliarum fundamentalium veritatum vocando. Cruciatae expeditiones fine privatae male dispositis hominibus causam dederunt perperam philosophandi; cur tot milia hominum periissent infelici exitu.? Bella enim suscepta erant in nomine Domini: „Deus ita vult," omnes clamabant. Omnes in Eo spem auxilii ponebant labores sudoresque haud paucos Eidem offerentes. Et quid ex inde commodi obtinuisset societas, quaerebant? Multi immemores peccatorum cruciferorum fidem catholicam accusabant, clerum ludibriis dabant atque blasphemiis obruebant. Nonnulli poetae imprudentia ducti ad eam dementiam pervenerunt, ut sanctis Dei obicerent, ac si hi non intercessissent apud Deum pro cruciferis. Praeterea Occidentales continuo deinde commercio cum Arabis, Saracenis, Iudaeis aliisque Orientalibus iuncti haud raro cum eis de religione disputabant; at cum non satis ad disputandum de altissimis veritatibus essent, facili negotio ab adversariis vincebantur, adeoque ruborem haud semel experti in dubium saluberrimas veritates suae religionis vocabant ac dein in scepticismum labebantur. Unde, refrigescente zelo religionis, ardens desiderium liberandi Terram Sanctam ab inimicis religionis christianae minuebatur, saepe quoque numero ratio Terram ~~(Sanctam)~~ sacram possidendi etiam infidelibus tribuebatur. Multi viri litterati principia omnibus aequalia dicunt, omnium eundem esse Deum Patrem, omnes eius filios esse docent, quin imo haud pauci ancipites haerent de veritate ipsius religionis christianae tenentes difficile esse dictu, quae ex tribus religionibus sit vera.[3] Hinc non est mirum, quod tota caterva calumniarum, obiectionum,

Confr. 1.) Hic ultimus ordo altissimam misticam produxit, - cuius opera multa carmina sunt composita. Vide Ozanam. Poetes Franciscains. - Schlégel. Philosophie de l'Histoire t. II, p. 211. - 2.) Ozanam. Poetes Franc. - Siemieński. Pieśni mistycznej miłości. 1877. - Schlégel Philos. supra cit. t. II, p. 210. - 3.) Christiana, Judaea, Muhameth. -

expr̄obrationum in lucem prodiit. Sufficit hac in re adhibere illius aetatis carmina, quae ad nos etiam pervenerunt sub nomine „Carmina Burana"[1] ex quibus speciminis gratia versus alligamus sequentes:

„Vita nostra brevis est... „Bachus lenis lenius
„Dulce est desipere „Curas et dolores
„Et carpamus dulcia „Confert iocum gaudia
„Iuventutis tenerae „Risus et amores...

Meum est propositum in taberna mori,
Ubi vina proxima morientis ori
Tunc cantabunt Angelorum chori
Deus sit propitius isti peccatori...
Magis quam Ecclesiam diligo tabernam...
Ipsam nullo tempore sprevi neque spernam...
Res est arduissima vincere naturam
In aspectu virginis mentem esse puram,
Iuvenes non possumus legem sequi duram,
Iuvenumque corporum non habere curam
Voluntatis avidus magis quam salutis,
Mortuus in anima curam gero cutis...
Ecce florent venditores spiritalis gratiae
Antichristi praecursores praesides Ecclesiae
Collum tarrum distractores, fures Eucharistiae,
Tui, Iuda, successores Christum vendunt hodie...
Roma caput mundi, sed nil capit mundum
Quod pendet a capite totum est immundum...

Talis igitur fuit poesis ineunte saeculo XIV. Quamvis eiusmodi versus sint blasphemi, nonnulli tamen vel etiam episcopi in aulis suis eos tolerabant scandalum fidelibus parando. Praeter eiusmodi satyrica carmina sub fine saeculi XIII et initio XIV erant adhuc satyrica scripta, quae „novellae" dicebantur, quorum auctores multorum mores deridebant castigabantque. In conspectus periodi, qua floruit celeberrimus Toscanorum poeta Dantes Allighierius. En aetas, quae fuit „moles agitans eius mentem". Aetas haec ingenio eius magno virido cupidoque turbulenta ac simul celebri sua indole fontem aperuit philosophandi, ipsa pariter generali suo motu movit eum ad diversas disciplinas tractandas poesimque sibi propriam eligendam[2]. Intestina vero illius aetatis bella, scandala utriusque reipublicae calamitates Dantem politicum fecerunt atque indicem, qui suum cuique ~~d~~ decerneret. Ordines tandem sacri, viri sanctitate eximii, aetas religiosa aliaque id genus fidem eius firmarunt eumque amore superiorum inflammarunt.

Cnfr. 1) Hubatsch. Die lateinische Vagantenlieder des Mittelalters. Galice. 1870. – 2) Chaudon et Delandine. Nouveau Diction. Hist. t. IV, p. 153-155. –

Quae cum ita essent, dubium non est, quin aurea aetas Dantem Allighierum produxerit, subtilem philosophum celeberrimum poetam, qui medii aevi florum, spinarumque est specimen, qui indole sua non solum ad auream aetatem medii saeculi suamque nationem, verum etiam ad omnes cuiuscumque gentis conditionisque homines pertinet. Ipse enim decretum Supremi Numinis: „in dolore paries" cum tota sua mole asperitateque sustinuit, felicem miseramque aetatem vidit, in paradiso libertatis ac prosperitatis Florentiae natus, in exilio moritur ingenio summus operibus immortalis, spiritu continuo ad supremo tendens obstacula corporis solvens ardentes curando undique „numine afflante" ut patria salutem gloriamque teneret semper.

16. Sic patriae amor, quo semper in vita poeta flagrabat, primum inter eius musas locum tenuit, fuitque ei felix scintilla, quae eum animabat, docebat, exilii calamitates leniebat, fortem in adversis faciebat aliaque haud pauca eidem praestabat. Hac in re Dantes secutus est multos sui temporis eruditos, qui patriam summo amore prosequebantur [2]. Ob amorem patriae Dantes dereliquit disciplinas, voluit enim, ut semotis studiis salus atque pax ab eo patriae procurarentur. Haec quoque res eum indefessum faciebat in orationibus dicendis ac legationibus suscipiendis, cum inter consiliarios prioresque Florentiae se videret. Eodem pariter amore ductus exilium potius durum, quam indigna pactiosorum placita approbari vates voluit. Deinde exul cum esset, iterque per Italiam aliasque provinicias antiqui Imperii Romani faceret, ab una aula ad aliam nullo non tempore spe patriam repetendi animatus est, mente tamen alienus semper ab humiliatione coram civibus, qui patriam pugnis vexabant. Ideoque rempublicam potius voluit vitiis sui [3] poenitere, quam illum, qui cum patriae bonum omni optaret tempore et vitam molestam ageret, omnibus bonis paternis iniuste privatus, aliorum panem lacrymis rigato et vesci et per alienam scalam, utpote ipse ait, procedere est coactus [4]. Quae omnia non alium ob finem sustinuit poeta, nisi quod patriam amaret, iustitiamque diligeret. Deinde cum neque candorem animi neque dura illa exilii adiuncta, in quibus Dantes versabatur, Florentiae cives attenderent, poeta in eam sententiam venit, ut precibus sibi adversos concives vinceret atque ita patriam citius repeteret. Hanc ob causam epistolam, quae

---

Cnfr 1) Karl Hillebrand. op. cit. p. 40. – 2) Weiss. Apol. des Christenth. p. 539 etq.–; Emiliani Giudici. Storia della Lett. Ital. l. p. 115. – 3) quod commisit virum magnum, amore patriae incensum exilio plectendo;– 4) Omnia haec amara Dantes proposuit c. XVIII Parad. – Vide Priorista Marucelli. Bibl. Mar. p. XXIV. –

incipit verbis: „Popule meus quid feci tibi" ad illos dedit, ubi culte et innocentiam suam probavit et amorem patriae. Non enim a precibus abhorrebat poeta, sed ab humilitate civibus praestanda in poena, quam solvere iniuste cogebatur[1]. Cum porro patriam suam poeta videret in periculo, eius salvandae gratia ad Henricum VII confugit eumque rogavit, ut ordinem politicum pacemque Florentiae restitueret. Eandem pariter ob rationem Veronam ipse petiit eiusque principem „Can Grande della Scala", qui fuit tunc temporis potentissimus, rogavit, ut in patriam veniret factiososque cohiberet. Verum tamen omnes eius conatus, quamvis saluberrimi essent, tive frustrati sunt: minime enim ei fas fuit ingredi patriam. Etenim conditio, quam Florentia exuli iterum proposuit (1317), fuit eadem quae sine humilitate adimpleri non potuit, quapropter poeta eam veluti indignam sprevit fortiter asserendo patriam eo plus salutis causa indigere, quam ipsum patria, cum iusto homini patria tam late extendatur, ut lumine suo sol ac sidera; si patriam Florentiam repeti haud posset cum honore, ubi, dicebat, sibi patria fore, ubi sunt res aeternae, quibus cognoscendis deinde se totum dedicavit. Amor igitur patriae fuit poetae fons, unde multa hauriebantur[2]. Haec aliaque bene multa adiuncta[3] ita ad indolem et ingenium Dantis Allighieri excolendum contulerunt, ut eum non solum subtilem philosophum gravem theologum, celeberrimum poetam, peritum politicum effecerint, verum etiam multorum operum auctorem produxerint. Qualem vero doctrinam suis in operibus sit professus, videbimus sequente in parte.

Nota. Praecipua et certa Dantis opera litteraria haec sunt: „La vita Nuova", „Il Convivio" „Le Rime", „De vulgari Eloquentia", De Monarchia", „Epistolae", „Duae Eclogae" et Divina Comoedia"; dubia vero ac controversa sunt sequentia: „Paraphrasis in VII Psalmos Poenitentales", „Credo" aliquot capita de Sacramentis", „Decalogo" et Septem Peccatis Capitalibus", Tandem „Paraphrasis in Pater noster" et „Ave Maria" „Laudes in honorem Beatissimae Virginis Mariae atque Una questio de aqua et terra. –

Cnfr 1.) Epist. cit. Veronae scripta. Geschichte Heinrichs von Lützelburg II app. IV p. 91. – 2.) Eo armatus ipse strenue cum inimicis et patriae et naturae certavit pugnavitque. Iure merito hanc ob causam „Ieremias" medii aevi a nonnullis auctoribus dicitur. vide: Bayle op. cit. t. II p. 953 n. D. – Schlosser l. c. IX p. 442; – Ozanam. Docum. nondum edit. p. 150. – Cantu. Histoire cit. op. t. VI, p. 566 etq. – 3.) Ut traditionis christ. amor, quapropter „Laudator temporis acti" appellatur, classicorum studium etc. – 4.) Passerini op. cit. – Ginguené op. cit. t. I, p. 480 – 481 etc. –

Secunda Pars

Dantes medio aevo — saeculo XVI — nostra aetate — S. Thomas et S. Bonaventura — Argumentum doctrinae: Deus unus et trinus – fons boni, principium et finis omnium rerum; homo – malum, peccatum — Redemptio – B. V. Maria — Gratia, Ecclesia, Sacramenta, perfectio, certamen in homine. Infernum, Purgatorium, Paradisum — Relatio reipublicae ad Ecclesiam — Auctoritas S. Scripturae — Testimonia de Primatu — Professio de articulis controversis — Analogia doctrinae — Obiectiones — Refutatio eorum.

1. Doctrina in operibus Dantis Allighierii est plane catholica. Quo de re toto medii aevi tempore „nemo unquam dubitavit"[1]. Jam anno 1350 Joannes Visconti, Archiepiscopus Mediolanensis, sex eruditos, inter quos duo erant summi theologi et duo philosophi, adiit, eosque rogavit, ut commentarios in poema „Divina Comoedia", ubi Dantes totam suam doctrinam, fidem, opiniones persuasionesque proposuerat[2], conscriberent.[3] Anno vero 1373 erecta est Florentiae specialis cathedra ad scientifice „Divinam Comoediam" interpretandam illustrandamque. Idem quoque mox factum est Pisae, Boloniae aliisque in civitatibus Italiae[4]. Pontifices, episcopi, viri litterati religiosi variorum ordinum, omnes Dantem veluti poetam catholicum summo in honore tunc temporis habebant. Nemo unquam ei aliquid obiicere est ausus, quin imo Boccaccio, Joannes Villani, Marsilius Ficinus, Paulus Jovius aliique bene multi Dantem salutabant ut vere catholicum philosophum nec non theologum, quapropter sepulchrale epigramma ei dederunt sequens:

„Theologus Dantes, nullius dogmatis expers".[5]

Insuper haud pauci viri et pii et docti opus Dantis „Divinam Comoediam" in Ecclesiis post S. Scripturam legebant[6]. Plures praeterea Pontifices: ut Paulus III, Pius IV, Clemens XII, Pius VII, Leo XIII dedicatione „Divinam Comoediam" commentariis auctam obtinuerunt. Episcopus Joannes Sarraval aliique in concilio Constantiensi otio „Divinam Comoediam" legisse dicuntur. Celeberrimi Michael Angelus et Raphael viri catholicae traditionis tenacissimi Dantem in deliciis habebant. Quae omnia alte probant nullum fuisse medio saeculo dubium de orthodoxia Toscanorum poetae.

2. Post Lutherum tamen patroni pseudo-reformatae doctrinae, cum divinis ex Litteris evincere haud possent,

---

Anm. 1.) ait Baumgartner S.J. – Epist. de Ort. op. Dantis d. 5 Nov. 1897. – Pariter: Passerini. Epist. d. 9 Decem. 1897. – Polletto, Antistes Pal. Pontif. d. 3 Jan. 1898. – 2.) Ginguené op. cit. t. II, p. 249. Ad hoc opus speciali modo attendemus. In eo enim omnem suam doctrinam Dantes proposuit. Perspecto hoc opere non erit, cur alia inspiciam, – eo potius, cum in aliis res magis profanae occurrant quam religiosae. – 3.) K. Hillebrand op. cit. app. p. 403. – Baumgrtnr op. cit. – 4.) Sismondi op. cit. t. IV, p. 193. – Hillebrand loco cit. 5.) Ozanam. La Philosophie au treiziem siècle p. 47. – Korsak. op. cit. p. 16. – 6.) Encykl. Powszech. Dante; – Ginguené op. cit. t. I, p. 485. – Вамсонъ. Данте и его врем. –

quod vellent, ad poetarum fabulas se, ut ait Bellarminus[1] convertendo ex canticis eorum de Dogmate fidei morumque et gravissimis religionis praeceptis decernere non verentes varia dicta vel ex Dantis operibus suum in favorem artificiose[2] interpretari, veluti testimonia pro se invocare coeperunt, ut videbimus sub fine huius partis. Nihilominus doctiores eorum et sobriores non alium Dantem nisi plane catholicum tam in vita, quam in operibus acceperunt, semper atque nunc accipiunt. Inter eiusmodi viros eminet Scartazzini, qui de religione atque doctrina (Weltanschauung) Dantis ita loquitur: „Is tantum, qui erudissima superficialitate laborat, negare potest, Dantem severe doctrinam catholicam secutum fuisse. Errant, qui opinantur, Dantem, si tempore reformationis ecclesiasticae saeculo XVI vixisset, huic summo iubilo applausurum, nam ut idem faceret, necessario debuisset totum suum systema derelinquere atque alium quasi virum induere. Nam eius systema radicat et in theologia et in philosophia catholica[1]; absque ullo dubio pronuntiari potest, Thomam ab Aquino fideliorem discipulum non habuisse. Quaecumque species schismatis seu separationis ecclesiarum est abominatio in eius oculis, nec dubitandum est, Dantem realem historicum (non imaginarium) fuisse, reformatores saeculi XVI sine exceptione in suum Infernum coniecturum esse".[3] Nihil est in scriptis poetae, quod censuram ecclesiasticam incurrat. Opus vero, cui nomen „Monarchia" positum fuit in Indice librorum prohibitorum Concilii Tridentini non eo sensu ac si doctrinas falsas erroneasque contineret, sed quia, cum facile in falsum sensum trahi posset, a protestantibus ad impugnandam S. Sedem contra legitimam operis interpretationem detorquebatur[4]. Omnes huiusmodi interpretationes atque inconvenientias cum doctrina Ecclesiae catholicae, si quae forte in opere invenirentur, ipse Dantes repellit praeclaris illis verbis, quibus opus illud concludit: „Enucleata", ait poeta, „veritas... non sic stricte accipienda est, ut Romanus princeps Romano Pontifici in aliquo non subiaceat, cum mortalis illa felicitas quodammodo ad immortalem felicitatem ordinetur. Illa igitur reverentia Caesar utatur ad Petrum, qua primogenitus filius debet uti ad Patrem, ut luce paternae gratiae illustratus, virtuosius orbem terrae irradiet."[5] Licet hoc praeclaro testimonio Dantes omnes adversariorum conatus perimat, protestantes tamen in eo perstiterunt, ut Dantem hinc inde in suum sensum verterent et tamquam praecursorem quemdam sic dictae reformationis glorificarent.[6]

3. Nostra vero aetate de orthodoxia Dantis eiusque operum doctrina pariter non parva habetur diversitas opinionum, cum unusquisque eum videri velit praecursorem suae doctrinae. Mirum propterea esse haud debet, quod multi magnae molis hodie sint perfecti commentarii ad explicandas vel minutissimas cum religione

[1] medii aevi: cum eo stat et cadit. Eius dogmatica est vere catholica, absque

Confr. 1.) Tom. VII, p. 529. – 2.) Baumgartner cit. op. – 3.) Dante, – Handbuch. Einführung in das Stud. des Lebens et der Schriften Dante-Alighieri's. Leip. 1892 p. 227. – 4.) Cardinal Jos. Hergenröther op. cit. – Baumgartner op. cit. – Hettinger op. cit. p. 493. – Ozanam op. cit. La Philosophie p. 235. – Moore. The Forthnightly Review Aug. 1897 p. 215 sq. 5.) Monarchia III, p. 16. – Profundius hoc opus enucleabimus tertia in parte huius Dissert. – 6.) Baumgartner op. cit. – Moore op. cit. –

catolica quasi inconvenientias, quae scilicet primo rei intuitu habentur in operibus celeberrimi poetae"[1]. Qua in re optime sunt meriti et Pontifices Romani et Theologi[2], qui multa tum ad orthodoxiam Dantis vindicandam tum ad destruendas eidem factas obiectiones scripserunt. Pius IX e. g. licet accepisset dedicatione noti scriptoris Aroux, opus „Dante Hérétique Révolutionaire et Socialiste", in castra tamen adversariorum perduci non potuit, quin imo tribus post annis idem Pontifex Ravennae super tumultum vatis, celebrem coronam posuit. Novissimis autem diebus Pontifex summus Maximus Leo XIII „Divinam Comoediam" in deliciis habet, saepeque ex ea per extensum „cantus" felici sua memoria adhibet. Anno vero 1892 idem Pontifex „Breve" de Dante ad Ravennatensem Archiepiscopum elaboravit, simul atque 10000 francorum eidem Archipraesuli obtulit ad monumentum poetae erigendum. Quo in „Breve" vates appelari meruit a Summo orbis catholici Pastore: „Gemma pretiosissima, pulcherrimus flos corona christianismi." „Etsi, ait Pontifex, amaritudo exilii passionesque partium iudicio eius detraxerunt, numquam tamen ille veritates christianorum laesit"[3]. Hinc mirum non esse debet, quod quidam Romanorum Theologorum orthodoxiam poetae defendendo eam tam clare in operibus eius vidit, ut haec intrepide dixerit: Etiamsi omnes totius mundi bibliothecae destruerentur, uno cum ~~eis~~ S. Scriptura periret, vel ex uno Dantis opere „Divina Comoedia" totum systema Dogmatum restitui posset" et morum[4]. Quo tamen non obstante nostra aetate et positivistae et agnostici Dantem considerant veluti suum prophetam. Positivista e. g. Augustus Comte docet „quotidianam lectionem unius „Canto" e Divina Comoedia... esse optimum medium obtinendae summae perfectionis in religione humanitatis". Quidam porro fervidus Lutheranorum patronus in Divino Dantis poemate perplures locos vidit qui sunt „quasi radii praefulgentes illius lucis magnae, quae totum orbem illuminavit revelationibus, quas Swedenberg a Deo obtinuit"[5]. Merito igitur applicatus poemati Dantis notum epigramma Bibliae:

„Hic liber est in quo quaerit sua dogmata quisque;
„Invenit et pariter dogmata ~~sua~~ quisque sua.

Et revera non habemus aliud phenomenon, cui quid simile apparuerit vel aliquo tempore vel loco. Nullus est scriptor praeter Dantem, in quem omnium temporum homines maiore admiratione ferrentur quemque tot laureis coronarent; vix quisque inveniri potuit, cui tam mirabilis inesset vis persuadendi intellectui humano, vix quisque est, qui singula sua verba ac sententias scrutatoribus diversissimarum religionum proponeret ad sua cuiusque placita ratihabenda, quam Dantes Allighierius. Hunc enim virum vere avideque arripuere suoque modo interpretandum et catholici et protestantes et positivistae et alii bene multi. Exceptis tamen catholicis perperam ad Dantem omnes confugiunt, cum apud eum ubi tam ~~[illegible]~~ fulcrum suae religionis inveniant, quam potius detrimentum et condemnationem. —

Cnfr 1.) Moore. The Fortnightly Review Aug. 1897. – p. 216. – 2.) Praesertim Rob. Bellarmini Cardinalis S. R. Eccl. – 3.) „Breve" de Dante 1892 d. 20 Martii – Cnfr pariter Etudes 1893 p. 611. – 4.) Moore. The Fortnightly supra cit. – 5.) Moore cit. op.

+ Et plane mutuam relationem Divinarum Personarum. Etenim non obscure evincitur ex operibus Dantis et processio Spiritus S. a Patre et Filio tanquam ab uno principio et unica spiratione. Ne termini quidem habendae sunt illa vana controversia circa Spiritum S. Latinos inter et Graecos olim agitata. —

4. Etenim Dantes eam doctrinam suis in operibus proposuit, quam profitetur S. Romano-Catholica Ecclesia.[1] S. Thomas ab Aquino et S. Bonaventura, duo clarissimi medii aevi viri, doctrina sanctitateque celebres in mente ac pectore Dantis principem locum tenebant.[2] Quod illi SS. Patrum vestigiis innixi mortalibus proposuerunt, id Dantes poetico modo concinnandum suscepit. Quod ut recte perficeret, Theologiam subtilem ac philosophiam divi Thomae, symbolicam-mysticam S. Bonaventurae atque visiones antecessorum[3] sibi in auxilium vocavit. Quod clare liquet ex opere eius immortali cui nomen, Divina Comoedia, ubi totam suam sapientiam ingeniumque totum impendit ita, ut merito dici possit: coelum terramque huic operi apposuisse manum:

"Poema sacro, al quale ha posto mano Cielo e Terra." [4]

5. Hoc in opere doctrinam fidei morumque principia eadem esse ac apud illos summos Ecclesiae Doctores patet ex argumento doctrinae. Et quidem Deum esse unum trinumque profitetur; Eum esse providum, aeternum, sapientem... dicit enim:

"... Io credo in uno Deo
"Solo ed eterno, che tutto 'l ciel ~~con disio~~ muove
"Ed a tal creder non ho io pruove
"Fisice e metafisice; ma dalmi
"Anche la verità che quinci ~~piove~~ pioue [5]."

(Ben moto, con amore e con disio)

"Omne quod est, aut habet esse a se aut ab aliis. Sed constat, quod habere esse a se non convenit nisi Uni, scilicet primo seu principio, qui Deus est. Si ergo accipiatur ultimum in universo, manifestum est, quod id habet esse ab aliquo: et illud a quo habet, habet a se vel ab aliquo. Si a se, sic est primum; si ab aliquo... esset sic procedere in infinitum in causis agentibus: aut erit devenire ad primum, qui Deus est.[6]" Hunc trinum esse probat loquens:

"Quell' uno e due e tre che sempre vive,
"E regna sempre in tre e due ed uno,
"Non circonscritto e tutto circonscrive" [7].

6. Eundem simul unum et trinum Deum docet esse fontem omnis boni: principium et finem omnium rerum: punctum creaturae: Alpham atque Omegam universi:

"Ove s'appunta ogni ubi ed ogni quando,
"Non per avere a se di bene acquisito,
"Che esser non può, ma perchè suo splendore
"Potesse, risplendendo dir: subsisto;[8]
"Ond'io appresso: o perpetui fiori
"Dell' eterna letizia....[9]
"Dell' universo infin qui ha vedute
"Le vite spirituali ad una ad una![10]..

Cnfr 1.) Darras. Histoire Universelle de l'Egl. t. III, p. 436. – 2.) Rohrbacher cit. op. t. XIX, p. 170. – 3.) Ut Orosius, Gregorii VII, aug. etc. cnfr n. 10 primae partis. – 4.) Cnfr n. 9 primae partis. – 5.) Parad. XXIV, 44. – 6.) Epistola Dantis ad Can Grande. – 7.) Parad. XIV, 28. – Vide S. Bonav. Com. I, 17 et S. Thom. prim. q. 16, 5. – 8.) Parad. XXIX, 4 etq. – 9.) Parad. XIX, 22. – 10.) Ibidem XXXIII – 23. – Cnfr S. Thom. prim. q. 16. 5; – Parad. XIX, 45 etq. – Purg. VI, 41, S. Ioann. Apocal. –

7. Hominem porro non alium intelligit nisi ut „microcosmos", qui est punctum creationis, imago Dei Creatoris. Quodvis hominis momentum hic in terris valere dicit pretio momentum vitae alterius futurae.[1] Primum hominem a Deo in felicitate conditum fuisse profitetur. Omnes homines secundum Dantem ad Deum possidendum vocantur iuxta gradum perfectionis sibi collatae.

8. Resistentia illi divinae vocationi est defectus boni, est peccatum, malum. Malum igitur est defectus boni. Bonum enim est perfectum. Malum et consequenter peccatum est imperfectum, est natura sua nihil[2]. Peccatum adeoque, cum sit resistentia divinae vocationi, voluntati, a libera nonnisi hominis voluntate pendet, procedit. Peccata porro varii generis sunt prout eorum causae[3] Primum peccatum hominem privavit felicitate Deum Optimum ~~Magnum~~ Maximum videndi; fuit causa idololatriae[4] omniumque malorum humani generis. Septem tamen sunt peccata capitalia, unde alia dimanant.[5]

9. Regeneratio elevatioque humani generis aliter perfici non potuit, nisi per Deum Filium Beatissimae Virginis Mariae.[6] Hic passione sua et morte iustitiae divinae satisfecit, redemitque genus humanum ab aeterna damnatione.

10. Beatissima Virgo Maria, cum sit Mater Dei atque Mediatrix Deum inter et homines summo cultu est prosequenda secundum doctrinam Dantis. Quapropter de B. V. Maria ita loquitur:

„ Immaginando ad unque, per meglio vedere,
„ In questo rogo ch' io dissi,
„ Sia una citta, e abbia nome Maria...
„ O Madre di virtute, Luce eterna,
„ Che l'aspra morte sostenne sol legno
„ Per scampar noi dall'oscura caverna.
„ Tu del ciel donna, e del mondo superna,
„ Deh! prega dunque il tuo figliuol ben degno,
„ Che mi conduca al suo celeste regno,
„ Per quel valore che sempre ci governa.
„ Tu sai ch' in te fu sempre 'l mio diporto;
„ Or mi soccorri, ch' io son giunto al porto,
„ Il qual passar per forza mi conviene;
„ Deh! non m' abandonar, sommo conforto,
„ Che se mai feci al mondo alcun delitto,
„ L'alma ne piange e 'l cor ne vien contrito...
„ Il nome del bel fior, ch' io sempre invoco
„ E mane e sera[7]....

Cfr. 1.) Ozanam. La Philosophie op. cit. p. 141. – 2.) Ozanam Ibidem p. 144. – Müller. Theolog. Mor. de peccatis. – Conc. Trid. sess. 6. c. 6. – 3.) Convito I, 1; IV, 8. – Purg. XVII, 16; – S. Bonaventur. Com. Theol. III, 5; – S. Thom. prim. sec. q. 85 ar. 3. – 4.) Parad. IV, 21; VIII, 1. – 5.) Purg. XVI, 32; S. Thom. prim. sec. q. 84, a. 7. – S. Bon. Com. III, 14. – S. Gregor. Moral. XXXI, 31 etc. 6.) Purg. III, 13. – 7.) Parad. XXIII. –

„Beatissima Virgo Maria summo cultu prosequenda est" Haec expressio minime theologice speciem denotat. Potest enim aliquis intelligere B. V. Mariam cultu latriae adorandam esse, quippe cum Matri Dei cultus hyperduliae, propter Ejus excellentiam prae Angelis omnibusque sanctis, competet.

11\. Gratiā porro ad salutem obtinendam esse necessariam docet[1]. Ecclesiam a Christo Domino fundatam dicit; Septem profitetur Sacramenta. Perfectio iuxta eum consistit in virtutibus, quarum aliae sunt infusae, aliae vero acquisitae. In homine ostendit certamen propter concupiscentiam; duplicem pariter ac S.S. Patres videt auctor „Divinae Comoediae" in vita hominis viam, lucis scilicet et tenebrarum; Anima hominis secundum Dantem a Deo creatur et atque infunditur;[2] beatitudo eius consistit in visione Dei; Infernum esse probat in visceribus terrae, ubi animae damnatae poenis torquentur ob peccata; Purgatorium autem dicit esse non aliam ob causam nisi ad expiandas culpas; Paradisum vero esse locum iucundissimum, ubi Supremum Numen, Angeli boni atque perfecti sanctique inhabitant. Quae omnia a Dante ita proponuntur describunturque veluti a summo poeta simul atque eo modo quo S. Thomas, S. Bonaventura aliique S.S. Ecclesiae Patres intellexerunt ac docuerunt.[3] Insuper Dantes suis in operibus longe est ab omni naturalismo, cum divinam revelationem statuat supremum logicae veritatis criterium et morum. Etenim philosophia secundum Dantem suis principiis hominem ducere debet ad ea, quae nonnisi fide aprehenduntur, ideoque ad aeterna rimanda veribusque exprimenda iuxta eum plane necessaria est theologia.[4] Praeterea omnis haeresis omneque schisma apud Dantem est crimen horrendum, suppliciis Inferni dignum atrocissimis. Hanc ob causam quemdam regularem Dolcino, ducem haereseos ad poenas aeternas Inferni damnat; eandem sane sortem absque ullo dubio experti essent apud Tuscanorum poetam Lutherus, Calvinus aliique eiusdem farinae homines, si eos unitatem Ecclesiae impugnantes vidisset.[5] Dantem perfusum fuisse doctrina Ecclesiae catholicae liquet vel ex eo quod Petro Brusiano, Valdo, Dolcino aliisque id genus eiusdem aetatis novatoribus Ecclesiae hierarchiam, formam Sacramentorum, debitum signo salutis honorem aliaque bene multa quamquam saluberrima impugnantibus e diametro eodem temporis momento oppositam eis doctrinam in operibus suis proposuit. Ecclesiam scilicet considerat veluti amantissimam Sponsam Christi, alienam ab omni macula ruga, mendacio.[6] Traditionem christianam ut S. Scripturam honorat colitque[7], potestatem clavium, poenam excommunicationis, valorem votorum agnoscit[8]; Sacramentum Poenitentiae eodem modo describit ac si primus esset in agmine theologorum Ecclesiae catholicae, indulgentiis simul ac suffragiis fidem catholicam praestat[9]. Cultum SS. Imaginum intercessionem Sanctorum praesertim Beatissimae Virginis Mariae numquam negat[10]; semper in pectore fovet![9] Ordines porro sacros eorumque institutores summis encomiis celebrat[11]. En argumentum succincte enarratum religiosae doctrinae, quam suis in operibus proposuit Dantes.[12]

Cnfr 1.) Purg. VIII, 32. – 2.) Parad. X, 29; XXVIII, 37 etc. S. Thom. prim. sec. q. 110, 1. – Ozanam op. cit. La Philos. p. 209–309. – 3.) Parad. VII, 23, 49. S. Bon. Com. 1, 1. – S. Thom. etc. supra cit. – Optime theologiam Dantis proposuit Celeberrimus Hettinger in op. haud semel a nobis cit. „Göttliche Com. cap. VII, p. 307–539. – 4.) Convito III, 7, 11; IV, 15. – 5.) Infr. IX, XXVIII etc. – 6.) Convito II, 4, 6. – 7.) Parad. V, 25. – 8.) Purg. IX, 26; – III, 46; – V, 19. – 9.) Purg. IX etc. II, 23; Parad. XXV, 23; XXVIII, 37. – 10.) Purg. IV, 14; – Purg. passim. Parad. XXXVIII, 1. – 11.) Parad. XI, XII; 12.) Vide Hettinger op. cit. atque Ozanam. –

12. Quod vero attinet relationem reipublicae ad Ecclesiam, haec probe in genere a poeta considerari videtur, cum eam ita perfici velit, ut temporalis felicitas ordinetur ad aeternam; ut reipublicae moderator subiaceat Moderatori Ecclesiae h. e. Romano Pontifici legitimo B. Petri successori eodem modo ac primogenitus filius Patri suo.[1]

13. Auctoritatem porro Litterarum S.S. quas studiose memoriae mandaverat, ubique agnoscit earumque verbis veluti solidis argumentis simul atque opportunis iterum iterumque utitur ad sententias suas probandas; saepe numero Litteras SS. poeta adhibet in operibus suis. Ad probe cognoscendum cultum, quem Dantes Litteris S.S. tribuebat inspexisse sufficit vel unam eius citationem. In Monarchia e.g. adductis s. Augustini verbis: „fides vacillare deberet, si auctoritas S. Scripturae concuteretur," exardens contra eos, qui vel ex consulto genuinum sensum S. Scripturae vel ex neglegentia aut pervertunt aut eo abutuntur, dicit: „O pessimum omnium criminum, homo audet... ad malum usum convertere consilium Aeterni Sancti-Patis committit crimen non coram Moysen vel David, vel Iob vel Matheo vel Paulo, sed coram Aeterno Spiritu, qui locutus est in eis".[2] Si igitur malam S.S. Litterarum interpretationem absolute proscribat, si quidem Litteras S.S. cosideras velut Aeterni Numinis consilium, admittamus, necesse est, summam S. Scripturae ab eo tribui auctoritatem.[3]

14. Nunc videamus oportet, quae sint testimonia Dantis de Primatu Romani Pontificis. Haec quaestio est lapis offensionis haud paucis vel ipsis catholicis, qui cum non satis versati sint in operibus poetae, saepe numero eum accusant perversae doctrinae de Primatu Romanorum Pontificum. Dantes minime gentium evertere tentat Primatum Ecclesiae, quin imo illum omni ex parte divinum esse probat atque affirmat. Nam S. Petrum summis laudibus honorat:

„... O luce eterna del gran viro,
„A cui nostro Signor lasciò le chiavi,
„Ch' ei portò qui, di questo gaudio miro[4]

De Roma, ubi s. Petri successor, Romanus Pontifex, Cathedram tenet magno cum honore loquitur; potestatem Romani Pontificis dicit esse eandem ac B. Petri, qui de coelo eam accepit transmisitque suis successoribus. Qua de causa Roma quondam caput orbis ethnici, nunc vero princeps orbis catholici, magnum ac sublimem suum finem prosequitur in historia Divinae Providentiae adeoque iuxta mentem Dantis magna est dicenda.

„ Non pare indegno ad uomo d'intelletto:
„ Ch' ei fu dell' alma Roma e di suo impero
„ Nell' empireo ciel per padre eletto:
„ La quale e il quale (a voler dir lo vero)
„ Fur stabiliti per lo loco santo,
„ U' siede il successor del maggior Pietro.[5]

Cnfr 1.) Monarchia III, 16; – 2.) Vide „The Fortnightly Review sup. cit. – Monarch. – 3.) Vide Ouvre. Monarchia p. 41. – Moore. The Fort. op. cit. – 4.) Parad. XXIV, 34-36. – 5.) Infr. II, 19-24; – Parad. XXX, 48; – XXIV, 12; Infr. II, 8 etq.

Roma igitur apud Dantem non est locus Antichristi, ut velint Lutherus eiusque sequaces, verum Urbs alma, locus sanctus, divinitus designatus et hoc non ob aliam rationem nisi propter successores B. Petri sibi habitantes. Itaque cum Romanos Pontifices pro successoribus B. Petri habeant, Nicolaum III vel mortuum poetaeque antea haud parum infensum summa nonnisi reverentia prosequitur dicens:

„E se non fosse che ancor lo mi vieta
„La riverenza delle somme chiavi,
„Che tu tenesti nella vita lieta,
„I' userei parole ancor più gravi;"[1]

Porro in Bonifacium VIII vindictam non prius sumit, nisi cum indole cum sacra privatum cognoscat[2]; eundem tamen honorat, cum veluti vicarium Christi videat[3]. Faciem vero cum suam vertit ad describendam captivitatem Romanorum Pontificum, ita eam cecinit dolendo:

„Veggio in Alagna entrar lo fiordaliso
„E nel vicario suo Cristo esser catto.
„Veggiolo un' altra voltra esser deriso;
„Veggio rinnovellar l'aceto e il fele,
„E tra vivi ladroni esser anciso.
„Veggio il nuovo Pilato sì crudele,
„Che ciò nol sazia, ma senza decreto,
„Porta nel tempio le cupide vele.
„O signor mio, quando sarò io lieto
„A veder la vendetta, che, nascosa,
„Fa dolce l'ira tua nel tuo secreto?"[4]

Eundem pariter Pontificem Bonifacium VIII, a quo tot mala perpessus est, quem ob ambitionem et avaritiam[5] contrariamque factionem saepe poeta reprehendit, Vicarium tamen Christi nominat, iniuriam eidem factam considerat veluti iniuriam ipsi Christo Domino illatam. Minime igitur Dantes Lutheri, Calvini aliorumque eiusdem generis hominum more Summum Pontificem intendit considerare. Siquidem aliquando Bonifacium VIII aliosque Beati Petri successores reprehendat, hoc facit nonnisi certo sub respectu: carpit eos ut homines candore morum privatos, minime autem, ut ministros Dei, semper enim distinctionem facit inter dignitatem et personam.[6] Caeterum etiamsi eos accusaret ut ministros, quamvis imprudenter faceret, minime tamen haeretica labe eius doctrina innodata esset[7]. Etenim Officium sacrum sacrosque Ordines vel in homine moribus perdito validos esse Dantes minime dubitat; eo magis alienus ipse animo fuit a negando sacro officio:

„Nè sommo officio, nè ordini sacri
„Guardò in se"[8].

Cnfr. 1) Inf. 100–103. – 2) Purg. XXXIII, 12; – 3) Purg. XX, 29. – 4) Purg. XX. –
5) Karl Hillebrand op. cit. p. 213, p. 345. – Rohrbacher. Hist. op. cit. t. XIX p. 170.
6) Hettinger op. cit. – 7) Ozanam. La Philosophie op. cit. p. 332. – Moore The Fort. Review op. cit. sub fine. – 8) Inf. XX. –

Quanta reverentia honoreque Dantes in summos Pontifices ferebatur, optime evincitur ex sequentibus adiunctis: cum ipse animae Adriani V Papae occurisset, ut eum eo loqueretur, statim in genua procubuit, ob summam eius dignitatem, quam in terris gererat:

„Io m'era inginocchiato, e volea dire,
„Ma com io cominciai, ed ei s'accorse,
„Solo ascoltando, del mio riverire:
„Qual cagion, disse, in giù così ti torse?
„Ed io a lui: Per vestra dignitate [1]

De Agapeto Pontifice pariter debita cum reverentia dicit:

„Ma il benedetto Agabito, che fue
„Summo Pastore, alla fede sincera
„Mi dirizzò con le parole sue; [2]

De Caelestino V quem prae omnibus ob nuntium ab eo Pontificatui missum reprehendi voluit, haec profert:

„E sia perfetto nel foro divino
„Allora tal, che palese e converto
„Non anderà con lui per un cammino.
„Ma poco poi sarà da Dio sofferto
„Nel santo uficio; [3]

De eis autem, qui sectarios omissa Ecclesiae doctrina ac Summi Pontificis audiunt, ita refert:

„Siate, Cristiani, a muovervi più gravi,
„Non siate come penna ad ogni vento,
„E non crediate ch'ogni acqua vi lavi,
„Avete il vecchio e il nuovo Testamento,
„E il pastor della Chiesa che vi guida:
„Questo vi basti a vostro salvamento. [4]

En doctrina Dantis de Primatu Romani Pontificis: nemo est qui, eam esse plane catholicam non videat.

15 Audiamus nunc oportet ex eodem Dante, quae forte non caperent illi, qui poetam vel ad castra Ecclesiae catholicae adversa trahunt, vel nimis eum de erroribus commissis accusant. Plurima enim atque aperta sunt Dantis testimonia non solum pro summa Romani Pontificis auctoritate dignitateque, verum etiam pro aliis fidei nostrae articulis, quibus contra vertuntur protestantes aliique devii homines. Etenim merita bonorum operum profitetur clare dicens:

„Speme diss'io, è uno attender certo
„Della gloria futura, il qual produce
„Grazia divina e precedente merto; [5]

Cnfr 1) Purg. XIX, 127-131. – 2.) Parad. VI, 16-18. – 3) Parad. XXX – 142, 146; – 4) Parad. V, 73-78. – 5) Parad. XXV, 67-69. –

Liberum hominis arbitrium, quod longe a protestantibus distat, intrepide probat, cum dicat:

„Lo maggior don che Dio per sua largezza
„Fessa creando ed alla sua bontate
„Più conformato, e quel che'ei più apprezza,
„Di che le creature intelligenti
„E tutte e sole pure, e son dotate...[1]
„Queste il principio, la onde si piglia
„Ragion di meritare in voi secondo
„Che buoni e rei amori accoglie e viglia;[2]

Signum crucis, a quo protestantes velut daemones fugiunt, medium saluberrimum esse testatur:

„Poi fece il segno [lor] di santa croce;[3]

Invocationem vero sanctorum praesertim B. V. Mariae, quod apud Protestantes est idololatria, omnibus commendat dicens:

„Udii gridar Maria, ora per noi
„Gridar: Michele e Pietro, e tutti i santi.[4]
„Orando, grazia convien che s'impetri,
„Grazia da quella che puote aiutarti. —[5]
„Donna, sei tanto grande e tanto vali
„Che qual vuol grazia, ed a te non ricorre,
„Sua distanza vuol volar senz'ali. —[6]

De sanctorum reliquiis haec honorifica mentioneque digna profert:

„Mi disse: Mira, mira, ecco il Barone,
„Per cui laggiù si visita Galizia[7]
„E santa Chiesa con aspetto umano
„Gabriele e Michel vi rappresenta,
„E l'altro che Tobia rifece sano;[8]

Vota porro Deo facta agnoscit eaque nonnisi Summi Pontificis auctoritate commutari posse confitetur:

„Ma non transmuti carco alla sua spalla
„Per suo arbitrio, alcun, senza la volta
„E della chiave bianca e della gialla.[9]

Eos autem, qui Virginem Deo consecratam e monasterio S. Clarae rapuere, his verbis vituperat atque damnat:

„Dal mondo, per seguirla, giovinetta
„Fuggi'mi e nel su' abito mi chiusi,
„E promisi la via della sua setta.
„Uomini poi, a mal più ch'a bene usi,
„Fuor mi rapiron della dolce chiostra;
„Dio lo si sa qual poi mia vita fusi.[10]

Cnfr 1.) Parad. I; — 2.) Purg. XVIII, 64–67. — 3.) Purg. II, 49. — 4.) Purg. XIII, 40–41. — 5.) Parad. XXXII, 147–148. — 6.) Parad. XXXIII, 13–15. — 7.) Parad. XV, 17–18. — 8.) Parad. IV, 46–48. — 9.) Parad. V, 55–57. — 10.) Parad. III, 103–108. —

Deinde poenas purgatorii, quas Calvinistae aliique haeretici seu fabulas derident, Dantes contra agnoscit, ut decet virum catholicum. Nam ita de eis loquitur:

" —— color, che son contenti
" Nel fuoco perchè speran di venire
" Quando che sia, alle beate genti.[1)]

Suffragia vero pro Defunctis, quae similiter a haereticis negantur, poeta catholice intellegit. Etenim de eis ita cecinit:

" Fagli per me un dir di pater nostro,
" Quanto bisogna a noi di questo mondo,
" Dove poter peccar non è più nostro.[2)]
" Ben si dee loro aitar lavar le note,
" Che portar quinci, sì che mondi e lievi
" Possano uscire alle stellate rote.[3)]

Fundatores tandem S.S. Ordinum et Minorum et Praedicatorum, ut supra iam notavimus, magno opere laudat nec minoris pretii facit approbationem eorum regulae a sede Apostolica. Qua de re ita dixit:

" Duo principi Ordinò in suo favore,
" Che quinci e quindi le fosser per guida.
" L'un fu tutto serafico in ardore,
" L'altro per sapienzia in terra fue
" Di cherubica luce uno splendore[4)]...
" Ma regalmente sua dura intenzione
" Ad Innocenzio aperse e da lui ebbe
" Primo sigillo a sua religione...[5)]
" Di seconda corona redimita
" Fur per Onorio dall' eterno spiro
" La santa voglia d'esto Archimandrita.[6)]
" —— Il venerabile Bernardo
" Si scalzò prima, e dietro a tanta pace
" Corse, e correndo gli parv' esser tardo.
" O ignota ricchezza o ben verace!
" Scalzasi Egidio, scalzasi Silvestro,
" Dietro allo sposo, sì la sposa piace.[7)]

Haec de articulis controversis citata abunde sufficiunt, ut omnes, qui Dantem perversae alienaeque Ecclesiae catholicae doctrinae accusarent, erubescere cogant, si frontem habent. Dantes igitur non aliam nisi catholicam doctrinam suis in operibus professus est.

16. Quae res multo clarius cuique apparebit, si attendamus analogiam, quae inter doctrinam Dantis et Ecclesiae catholicae intercedit. Sumamus ex. c. immortale Dantis opus: „Divinam Comoediam", ubi auctor, ut iam

---

Cnfr. 1.) Inf. I, 118-120. – 2.) Purg. XXVI, 130-130. – 3.) Purg. XI, 34-36. – 4.) Parad. XI, 36-39. – 5.) Ibidem. 91-93. –

supra notavimus, totam suam doctrinam sapientiamque posteris proposuit atque mandavit. In hoc opere idea moleque uno, sed partibus divisioneque trino ita res se habet analogice spectata. a) Infernum est vividum praeceptum, Purgatorium systema opinionum, Paradisus vero realis fidei expositio. „In opere Dantis „Divina Comoedia, ait Moncrieff O'Connor, „Redemptionis Hymnus decantatur. Quaevis enim eius pars, quaevis res magnam cum religione catholica unitatem habet. Unde expositio operis non est nisi celebris expositio operis Dei Optimi Maximi"[1]. Et revera miro modo opera S.S. Trinitatis illo in opere Toscanorum poetae relucet. Actio videlicet Unius ac Trini Dei super animam hominis salvandam, quae ex amore Supremi Numinis et Eius iustitia oritur, exprimitur opere uno et trino: in Inferno per eductionem hominis e rebellione, in Purgatorio per varios remunerationis gradus, in Paradiso per nitens mysticae Rosae lumen. Opus triplici sua parte optime pariter denotat doctrinam Ecclesiae de triplici regno: naturae gratiae et gloriae. In concreto vero illud sumptum apprime decernit: Infernum homini peccatori, Purgatorium poenitenti; Paradisum triumphanti. Fundamentum autem huiusmodi structurae est profecto trinitas virtutum theologicarum: Fidei, Spei, Caritatis. Fides in Patrem Creatorem propter eius Omnipotentiam et iustitiam optime est per veram Inferni existentiam probata; Spes in Filium Redemptorem, qui omnes salvari vult salutifera media procurando, luculenter eminet in Purgatorio; Caritas tandem, qui est amor donum Spiritus Sancti Illuminatoris, perfecta nonnisi in Paradiso invenitur. Idea, qua Dantes in operibus suis[2] praesertim in poemate suo ducitur est completum systema ac modus, quo anima nostra gubernatur ac sanctificatur; haec enim tribus perficitur facultatibus: videlicet memoria, voluntate, intellectu. Facultas memoriae in natura ipsa veluti ab Inferno moderamen actionibus petit; voluntas autem gratia liberata ad Coelum tendendo velut in Purgatorio agit; Intellectus denique gloria illuminatus ad Deum in Paradiso adorandum fertur. Deinde sicut tres personae S.S. Trinitatis unam naturam divinam constituunt, ita pariter tres illae facultates animae atque virtutes unam efficiunt V conceptum unumque spectans finem, ita tria „Comoediae" cantica unum completum Hymnum Redemptionis formant. Praeterea unumquodque trium canticorum consistit triginta tribus carminibus sine introductione, quae si eis addatur, unum oritur centum. Centum vero iuxta S. Augustinum, S. Thomam aliosque sumitur ceu symbolum

V humanam naturam[3] Insuper sicut tres virtutes unum efficiunt conceptum.–

Cnfr. 1.) The Dublin Review. Vol. 118. N° 237. 1896 – p. 370 Art. VII. – 2.) Omnibus. Idem enim a Dante semper et ubique prosequitur certamen inter bonum et malum. Semper auctor ad Deum colendum tendit. 3.) Plato trium animarum existentiam probare conabatur; Manichaei vero duarum; Dantes autem doctrinam Ecclesiae sequens ostendit hominem non esse solum corpus vel solam animam, sed unum corpus et unam animam simul in ~~homine~~ harmonia.–

perfectionis. Dantes igitur vel in numero versuum concinnando quae oculis habuit viros sanctos, perfectos, qui in omni creatura vestigium Dei videbant. Sanctorum ideoque vestigia premens poeta operi scribendo sese accinxit. In Inferno, primo in operis parte, actionem Dei Creatoris atque Legislatoris canendum suscepit. Etenim docet poenam a Deo creatam esse, ut homo a lapsu se custodiat, ad meliora tendat. Timor enim Domini initium est sapientiae. Infernum ergo Deus condidit ex amore iustitiaque. Haec ultima Dantis idea probe intelligi debet, quoniam et fundamentum est et explicatio eius operum. Facultas vero animae, quae maxime in Inferno exercetur, est memoria-ratione adiuta. Ratio autem seu scientia hominem ducit ad finem sibi praefixum. Hanc ob causam poeta a Vergilio, quo usque recta ratio extenditur, est ductus. Verum ultra ille munus suum obire iam non potuit, quapropter locum suum cedere debuit alii, qui rationem fide firmatam habet. Porro sicut Redemptio nostra triplici bono perfecta erat, ita primi Dantis gressus tribus impediuntur diabolis. Sicut Deus permisit, ut cooperaretur foemina in Redemptione perficienda, ita pariter res se habet in ducendo liberandoque Dante, ubi Beatrix (gratia divina) modo ope Vergilii, modo ipsamet poetae viam pandit. Insuper Dantes Infernum ingressus est Feria V Hebdomadae Sanctae (1300) eo scilicet tempore, quo Sanctissimum Redemptionis Sacramentum institutum est. Primum tamen circulum media nocte Parasceve assecutus est: gravissimo illo momento, quo Salvator noster opus Redemptionis incepit, cum media nocte nasceretur. Deinde pedetentim in Infernum descendit continuo se ad sinistram vertendo, nam a sinistra Crucifixi Salvatoris mundus finalis impoenitentiae exemplum accepit. Defectus vero in opere rei superfluae decoris causa, expressio eorum tantum, quae necessaria sunt, divisio partis cuiusque in 33 cantus, cantici cuiusque in 33 versus optime probant opus Redemptionis intra 33 annos consummatum ab auctore „Divinae Comoediae" concinnandum fuisse intentum. Si autem attendamus peccata, eorum gravitatem aliaque similia, apud Dantem eadem videbimus atque apud divum Thomam. Etenim hominibus, qui seipsos vita privarunt, profundiorem abyssum decernit, quam peccatoribus contra proximum. „Gravius, ait Doctor Angelicus, est peccatum seipsum quam alterum laedere". Natura poenarum in Inferno damnatis eodem plane modo describitur a Dante atque a S Ioanne Damasceno, S Thoma Aquinate aliisque catholicis theologis. Ita e.g. S. Ioannes Damascenus affirmat esse in damnatis genus irae, quae inflammat cor damnatorum vaporatione fellis, S. Thomas pariter vaporationes pessimas taciturnitatem aliaque id genus horrenda in

damnatis videt. Dantes item alios putridis fumis affectos, alios Stygiis undis submersos, veneno arborum ardentes gementesque facit, ut reparent iniuriam Filio Dei illatam, qui pro eis in ligno Crucis vita decessit. Pariter haereticos veluti lupos in Ovili Christi rapaces eodem modo in Inferno punit ac divus Thomas, illis enim medium inter fornicarios, molles, ob fraudem, violentiam contaminatos locum decernit. Etenim haeresis – violentia contra Deum, mollities contra seipsum, fraudes – violentia contra proximum radices habent superbiam sensualitatemque, ideoque ad opera carnis pertinent. Quod etiam tenent: S. Thomas et s. Gregorius Magnus. Deinde Dantes in maxime horribilibus Inferni regionibus, ubi ille duce Vergilio pervenit die V Hebdomadae Sanctae, invenit plures miserrimos peccatores, qui abusu intellectus h. e. nobilissimae facultatis humanae contaminati sunt. Illi enim contra Spiritum Sanctum egerunt, qui intellectum illuminavit ad aeterna possidenda, consequenter peccarunt contra S.S. Trinitatem; iure merito igitur damnati sunt ad atrocissimas poenas subeundas. Lucifer a Dante gravissime punitur: in angustissimo Inferni angulo torquetur. Insolito enim rebellionis crimine: „Non serviam" adeo Dantes permotus fuit ut Luciferum verum Satanam, brutum abominosum verumque diabolum depingat. Etenim in Deo poeta videt supremum bonum, in diabolo abominabile malum; in Deo dulcissimum amorem, in satana amaram detestationem; in Deo supremam sapientiam, in satana maximam ignorantiam; in Deo lumen coruscans, in Lucifero crassissimas tenebras; in Deo infinitam pulchritudinem in satana ineffabilem repulsionem; in Deo vitam aeternam, in satana mortem frigidam. Triplex satanae facies antithesis coelestis evadit Trinitatis: una earum ex furore est rubra propter impotentiam adversus Deum Creatorem; secunda atra, veluti nox, e diametro opposita Lumini de lumine h. e. Deo Salvatori; tertia vero est pallida ex horrida invidia adversus Deum Amoris h. e. Spiritum Sanctum. Et sicut triplex exemplum fidelitatis est basis nostrae Redemptionis, ita detestabilis trinitas proditorum fundamentum facit nostrae ruinae. Iure igitur merito profundissimo illo Inferni loco praeter Satanam, qui Deum O. M. perdidit in aeternum, sedent adhuc tres: Iudas Iscariotes perduellionis reus in Personam Fundatoris Ecclesiae, Brutus et Cassius, qui rempublicam pessumdedere. Cum autem Infernum positum sit in centro terrae longissime a lumine coelorum distante cumque foveis petrosis circumdatum sit, nulla umquam damnatis via, nullum medium eis datur ab Inferno sese liberandi. Aeternitas ergo poenarum optime notatur. ~~Dantes~~ Denique Dantes in hac subterranea peregrinatione totam noctem consumpsit, tantum igitur poeta adhibuit temporis, quantum Redemptor noster in tumulo suo post mortem. Haec est analogia succincte spectata inter doctrinam in delineando Inferno a Dante

propositam et doctrinam Ecclesiae eiusque Doctorum. Nemo in ea non videt Dantem profunde catholicum amore Dei odioque peccati incensum.

C) Catholicitas Dantis doctrinae adhuc clarius eiusque pandetur, si Purgatorium ab eo depictum inspiciatur. Hoc in expiationis regno amor Dei ubique refulget. Impenetrabiles tenebrae, lugubris miseria, aeterna desperatio et caetera id genus hic locum iam non habent. In Purgatorio enim incipit regnum gratiae; homini poenitenti affulget spes quae terribilia tormenta eius mitigat, pacem confert. Hic voluntas hominis arcte coniungitur cum voluntate divina; hanc ob causam praecepta Dei laeto adimplentur animo. In Inferno peccatum manet. Voluntas eam ob causam perpetuo in lucta cum Deo existit. In Purgatorio contra peccatum iam deest, macula tantum delenda et punitio subeunda restant. Quaevis ibi anima, cum citissime coniunctionem cum Deo obtinere desideret, libenter punitioni sese subiicit patienterque eam sustinet ad maculam illam delendam. Insuper peccatum in Purgatorio habetur tantum in causa, in homine poenitente, spe affecto, minime vero in affectu, in sua malitia, in desperatione. „In Purgatorio", ait S. Bonaventura, „tormenta atrocissima leniuntur spe, quae est nota principalis Purgatorii". Hanc ob causam omnes ibi ministri, Angeli consolatores, defensores adiutoresque induti sunt vestibus viridibus. Nam color hic est symbolum spei. Quod etiam affirmant Seraficus Doctor et Divus Thomas, quorum ultimus dicit: „Neque ~~pro~~ damnatis, neque pro salvatis est spes, sed pro eis solum, qui vel in vita vel in Purgatorio peregrinantur." Unde in purgatorio apparent: resignatio, patientia, laetitia, submissio voluntati divinae, quae reddit animos retentos ad poenas amandas nec non unionem cum Deo obtinendam aptos. In Inferno porro tempus luna mensuratur, in Purgatorio id lumine solis perficitur. In Purgatorio dein peregrini iter facientes non iam ad sinistram sed ad dexteram se vertunt, nam in dextera Christi pulcherrimum datum est exemplum finalis poenitentiae. Quoniam vero Purgatorium specialem habet relationem ad Deum Redemptorem, ideoque mons Purgatorii antipodum instar iungitur cum monte Calvariae. Primum enim signum, quod Dantes in assequendis liminibus de coelo aspexerat, fuit Crux meridionalis et quatuor sidera: symbolum quatuor virtutum: Iustitiae, Fortitudinis, Prudentiae, Temperantiae. Vespere autem cum ~~cum autem~~ tenebrae premere coepissent, tres aliae apparuere stellae: symbolum virtutum theologicarum: Fidei, Spei, Caritatis: quibus salus nostra innititur. Quatuor vero illae virtutes lapsu hominis contaminatae erant: ignorantia igitur sustulit prudentiam; malitia iustitiam, voracitas temperantiam, debilitas

„B. V. Maria nobis offertur uti prototypon septem virtutum, quae septem mortalibus opponuntur peccatis" Melius exprimatur: quae septem capitalibus peccatis opponuntur, enimvero non omnia capitalia sunt peccata mortalia, sicuti et vice versa. —

fortitudinem. Iniuria haec reparari coepit cum adventu Christi ope Fidei, Spei, Caritatis. Eadem pariter modo hac de re dicit S. Bonaventura suo in opere: „Speculum B. Mariae Virginis". Praeterea poenam animarum in Purgatorio passivam esse docet, quae in amissione boni et sitis ac desiderio unionem cum Deo obtinendi consistit. Ripae Purgatorii rubrae apparent, quod emblema est humilitatis amorisque Christi Domini. Insuper sicut triplici modo peccamus: mente, ore, ~~et~~ opere, ita pariter ad porticum Purgatorii tres sunt gradus scalae; quorum primus ex marmore albo factus, veluti speculum, expolitus symbolum est examinis conscientiae et palloris Agoniae D. N. Iesu Christi; secundus gradus est purpureus, asper, scissus, quod emblema prae se fert contritionis, qua anima scindi debet, ut deleantur peccata ipsaque fiat particeps meritorum Crucis, in qua Redemptor noster mori dignatus est. Tertius tandem gressus sanguinei, flammarum est coloris, qui mortificationem ac cruciatus poenitentiae demonstret. Quos gradus Dantes ascendit iam non Vergilio duce, sed S. Lucia, ut notum omnibus fieret, animam ~~ex~~ non posse iustificationis gratia frui, nisi prius gratia praeveniente iuvetur: „Homo enim, ait Angelicus Doctor, in peccato est mortuus velut cadaver, in quod anima iterum insufflari debet, ut ad vitam illud excitetur." Factum praeterea principale in nostra Redemptione est Incarnatio, ubi dependentia Dei a consensu unius creaturae omni tempore miranda esse videtur. Quare non solum non incongruum, verum etiam peropportunum est dicendum, primam imaginem, quibus parietes primi Purgatorii circuli ornabantur, esse Annuntiationem. Uno verbo totum Purgatorium Mediatricis praesentiam redolet. Varia inter exempla virtutum, quas omnis sectio Purgatorii sibi imitanda tenet, primum semper exemplum desumitur ex vita B. V. Mariae, quae semper nobis offertur vel uti ~~auxilium~~ Christianorum vel uti prototypon septem virtutum, quae septem mortalibus opponuntur peccatis. Talis idea non ab alio sane, nisi a S. Bonaventura esse mutuata videtur. Quaevis adhuc sectio Purgatorii habet sibi specialem orationem partialemque hymnum, qui, quamvis cum lacrymis decantetur, spe tamen libenter sustinetur, gaudio futuro impletur. Tenellus luctus, plenus venustatis et moeror levis pulchritudine refectus, longe a sterilitate desolationis desperationisque distans, conditionem huius constituunt regionis. Quae cum ita sint, conditio haec solatium potius, quam poena est. Quod plane respondet conceptui Ecclesiae nec non Tractatui de Purgatorio S. Catharinae. Quod vero spectat orationes sectionum, hae peropportune omnes a poeta positae sunt. Oratio ex. gr. primae sectionis — superbiae — est „Pater noster", quod est suspirium impotentiae nostrae, vox scilicet eorum, qui auxilium suffragiumque appetunt. „Abnegatio suiipsius in humilitate est

optimum remedium, dicit Hugo de S. Victore, contra mortalia peccata." Quis igitur opportunius Dante orationem in via purgationis animae unquam posuerit? Expiationes in Purgatorio non minus profunde atque accurate proponuntur quam in Inferno. Voraces e.g., quorum hymnus est: „Benedicti, qui esuriunt et sitiunt etc", eo puniuntur, quod ad arborem prope accedant, fructus eius suaviter olentes videant, ramos limpido irroratos torrente adipiscuntur, quos tamen tangere minime possunt. Eodem pariter loco symbolice eis Crux sancta demonstratur, cuius fructus erat panis vivus, cuius vox ultima fuit: „sitio" cuius latus aquam protulit aeternae vitae et sanguinem, qui profecto ab hominibus consumebatur. Conceptum Dantis, quem ipse in praecordiis suis habuit, in tota sua amplitudine exponere nemo mortalium hucusque potuit, et vix aliquis unquam poterit. Magnum hunc poeta laborem ~~poeta~~ sibi imposuit perficiendum ob Beatricem. Etenim eius causa atque amore incensus a natura per gratiam beatificam in visionem ducebatur. Beatrix Virgo rationem eius excitabat, memoriam eius vitae dulcedine implebat, arcana ei aperiebat, atque ita amor eius adolescentiae evasit; Beatrix foemina voluntatem Dantis ducebat ad scientiam Dei, hac via studium Theologiae apud eum excrevit et amor virilis; Beatrix Angelus, rationem transgressa, intellectum poetae illustrabat ad summum S.S. Trinitatis mysterium cognoscendum, atque hoc modo amor eius senectutis evasit: scientia divina. Amor igitur Dantis sacrificio sui innititur et abnegatione omni modo; propterea plane alienus est ab amore ethnicorum. Platonis, Aristotelis, Ciceronis aliorumque una ex parte altera vero ex parte intime quadrat amori, quem nobis proponit Christus Dominus eiusque Ecclesia Sancta.

c) Si tandem inspiciamus Paradisum, in eo describendo poetam pariter ~~a~~ videbimus plane catholicum. Etenim pericula Inferni, defatigatio Purgatorii ab eo prorsus recedunt, ut locum paci felicitatique in perfecta visione et amore Dei dent. Minus dramaticus Inferno, difficilior cognitu Purgatorio, Paradisus ista Dantem amplectitur imaginationem nostram intellectu potius, quam sensibus. Idea Paradisi minus est visibilis tum propter arcana sublimia, tum quia mens mortalium utpote limitata illis in amplectendis superorum deliciis omnino est impar testante ipso Apostolo Gentium. Conatur nihilominus intellectus humanus aeterna nancisci lumenque asequi coruscans. Vita Paradisi est vita puri intellectus ubi est veritas mysteriis gratiae naturaeque cooperta: veritas realiter existens, amor aeternus, pace nutritus, felicitate auctus in infinita Dei Maiestate. Omnia ibi sunt sancta divinaque.

Omnes Paradisum inhabitantes irradiatione odoreque Aeterni Pulchri exquisitam assequuntur perfectionem. Paradisus porro Dantis est potius oratio quam poema. In Inferno, ut iam ostendimus, poeta cecinit Deum Creatorem; in Purgatorio actionem patefecit Dei Redemptoris; in Paradiso vero celebrat actionem Spiritus S., qui intellectum humanum ducit ad fontes aeternos, unde perfectus dimanat amor, qui ignem sanctum in animis excitat ad magis magisque Deum contemplandum. Infernum Dantes ingressus est media nocte, Purgatorium vero visitavit collucente aurora; Paradisum autem meridie, cum sol plenissime iam terram illuminat. Nihil enim in natura pulchrius distinctiusque est quam lumen solis, quod cum maxime sit praeditum virtute, merito ad Lumen Aeternum exprimendum adhibetur. Deinde in suprema Paradisi claritate, in magico motu, inaccessibili potestate miseria, distinctio hominum, mutatio rerum prorsus evanescunt. Dantes vero apparenter immotus aedes divinas ascendit cum Beatrice; qua mediante in extasim rapitur videtque eam tunc symbolum divinae scientiae ac sapientiae illuminato in spatio veluti pelago infinito soleque illustrato. Lepores Beatricis, quo superius poeta ascendit, eo clarius fiebant, quo factum est, ut indoles Dantis magis evaderet idonea ad maiorem luminis intensitatem sustinendam. Deinde poeta cum varios coelorum orbes transgrederetur, memoria eum fallit, immota vero voluntas stupet, solus intellectus Spiritu Sancto illustratus aspicit mysteria, quibus plane submergitur. Vestigia autem dubii terrestris ignorantiaeque progressive in splendida irradiatione Spiritus S. amoventur. Ordines Ecclesiae triumphantis iunguntur cum ordinibus Ecclesiae militantis; centena milia lampadum a sole splendorem accipiunt: ibi Potestas et Sapientia; ibique Rosa Sancta, in qua Verbum Caro factum est, quae mystica quoque Rosa appellatur. Oculi tandem Dantis obumbrati sunt, cum talem splendorem animadverteret. Quapropter poeta convertitur ad B. V. Mariam – symbolum divinae Misericordiae, ut visionem splendoris sustinere possit. Quod cum faceret, apparent ei Nuntii Incarnationis, qui Rosam Mari Mysticam reverentur cantando hymnum „Regina Coeli." Deinde Dantes ingressus est beatitudinem, ubi veluti in infinito pelago intellectus eius penitus penitusque submergitur atque in hoc visio poetae finitur. Unde clare cuique patet hominem esse imaginem Dei; harmoniam mirabilem ubique contineri: desiderium et possessionem, intellectum et cor, animam et corpus in unione cum Deo mirifice collustrari. Post Paradisum a Dante delineatum nihil aliud restat, nisi visio Dei aeterna. En igitur doctrina Dantis de triplici re gravissima. Nemo in ea non

videt doctrinam S.S. Patrum Theologorumque Sanctae Romanae Ecclesiae Catholicae delineatam esse.

17 Quod attinet obiectiones, quas adversarii movent contra orthodoxiam Dantis, haec reduci possunt ad sequentes:

1) Dantes haereticorum modo Caesarem plane independentem a Romano Pontifice, qui imo Ecclesiam seu potius Romanum Pontificem Imperatori sese subiectum docuit.

2) Dantes haereticorum more Ecclesiae denegavit auctoritatem donationes accipiendi.

3) Gentiles absque baptismate ab eo in Paradiso aeternam beatitudinem merentur, Pontifices vero damnantur.

4) Poeta haereticorum modo Romanorum Pontificum nec non Romanae Ecclesiae cleri varia vitia detegit.

5.) Locus Apocalypseos de Babylone (meretrice) ab eo velut a Protestantibus Summis Pontificibus applicatur.

6) Sacrificium Missae iuxta Lutheranorum errores improbari videtur.

7) Lutheri adventus prophetico quodam spiritu praefiguratur.

8) Indulgentiae a Romanis Pontificibus concessae reprehendi videntur. – A prima illas discutere incipiamus oportet. Itaque

Ad 1^am^. Obiectio est sine fundamento. Ille tantum eam movere potest, qui vel plane vel parum in operibus Toscanorum poetae est versatus. Quanquam enim auctor „Divinae Comaediae" duplicem universalem monarchiam docuerat: Imperatorem in temporalibus, Pontificem vero in spiritualibus absolutos principes statuerat, minime tamen unquam Caesarem a Pontifice independentem dixit. Quod luculenter cuique liquet ex verbis, quibus opus suum „Monarchia" poeta clauserat dicens: „Quae quidem veritas... non sic stricte accipienda est, ut Romanus princeps in aliquo Romano Pontifici non subiaceat, cum mortalis illa felicitas, quodammodo ad immortalem felicitatem ordinetur. Illa igitur reverentia Caesar utatur ad Petrum, qua primogenitus filius ad Patrem, ut luce paternae gratiae illustratus virtuosius orbem terrae irradiat"[1]. „Quibus verbis freti Pontifices" ut ait Hegel[2] „omnibus imperare poterant veluti Patres"... „Minime igitur Dantes", inquit Friceberg[3], „discrepasse hac in re a Bellarmino, qui reverentiam solum Papae vindicando omnibus eum imperare praedicavit." Deinde Feuerlius[4], Sybel[5] aliique optime in operibus Dantis versati unanimiter contendunt, ab eo potius „theocratiam" fundari, quam aliud quoddam regimen. Etenim perspectis hinc inde poetae verbis[6]: „a Deo veluti a puncto bifurcatur Petri Caesarisque potestas"... ita illi viri referunt: „Ordinem socialem a Dante theocraticum doceri"[7] Dubium porro non est, quin Dantes Caesarem faciendo a Pontifice in

---

Cnfr 1.) Monarchia III, p. 16. – 2.) Dantes über Staat und Kirche. 1842. – 3.) De finium intra Ecclesiam et civitatem regendorum iudicio. 1861 p. 61. – 4.) Dantes und die beiden Confessionen. 5.) Hist. Zeitchrft. XXIX v. 53. – 6.) quae in epistola ad Principes Italiae data invenies. 7.) Ibidem. ~

aliis dependentem, in aliis independentem sequatur sententiam S.S. Patrum et Theologorum, qui, cum saecularem potestatem a spirituali independentem doceant, semper excipiunt ea quae ad religionem ac pietatem fidelium pertineant. „Quantum, ut ait S. Augustinus, salus religionis ac pietatis concedit... si non est contra divina praecepta... in his quae ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati saeculari secundum Mathaeum 22, 21. „Reddite quod est Caesaris Caesari" [1] — Dantes igitur nonnisi fusiore calamo S.S. Patrum doctrinam proposuit de auctoritate utriusque reipublicae. Caesari ipse ducatum praestitit in rebus temporalibus, Pontifici autem in spiritualibus eo tamen cum discrimine, quod Imperatorem Romano Pontifici indirecte subiectum fecit veluti primogenitum filium. Insuper ipsum fontem utriusque potestatis Dantes non eadem potestate aequali pollere docet, cum principatum Papae divinum esse affirmet, ducatum vero Caesaris humanum potius esse statuit. „Ecclesiae," ait, „fundamentum est Christus... Imperii vero fundamentum ius humanum" [2]. Inepte ergo inimici Dantis contendunt, Auctoritatem Caesaris plus aequo ab eo urgeri, Pontificis autem impugnari. Voluit nonnisi Dantes utriusque potestatis fines describere: Pontifices a rebus politicis, Imperatores vero a certamine Ecclesiae illato revocare eorumque potestatem vel maxime labefactatam ad verum missionis campum veramque dignitatem redigere opere sibi proposuit. Longissime ~~(vero)~~ igitur hac in re Dantes distat a haereticis [3], qui omnimodam Ecclesiae subiectionem statui profitentur.

Ad 2am Perperam dicunt. Dantes enim minime ius Ecclesiae donationes accipiendi absolute negavit [4] cum usum fructuum bonorum pro necessitatibus suis et pro pauperibus admittat. Plane igitur hac in re alienus est ab haereticis, qui Ecclesiae ius bona possidendi sub quolibet titulo denegabant. Dantes voluit nonnisi probare, Ecclesiam ad finem suum assequendum ex intentione divini sui Institutoris necessario temporali proprietate non indigere. Sane, principium hoc poeta plus aequo propugnavit, cum etiam animadverteret donationes Ecclesiae factas fuisse fontes malorum. Quo tamen non obstante primum donatorem Constantinum in Paradiso collocavit. Quod minime fecisset, si ius ab eo esset usurpatum. De facto ergo ius illud Ecclesiae agnovit. [5]

Ad 3am Obiectio parum valet. Etenim inter gentiles erant homines boni, qui legem naturae custodiebant, virtutibus eminebant, fidem servabant. Quis eos in barathrum detrudere auderet? „An Iudaeorum Deus tantum? nonne et gentium? Immo et gentium" [6]. Boni perfectique gentiles Paradiso potius, quam Inferno sunt remunerandi, si bona fide officia sua obibant faciebantque quae eis conscientia dictabat ~~(dicebat)~~. Facientibus autem quae sunt necessaria Deus non deesinit. [7]

Cnfr. 1.) S. Aug. „De Civit. Dei" XIX, 17, 19. — S. Thom. De reg. princ. I, 14 sequ. — In II sent. dist. 44. q. 2 art. 3. — Hergenröther op. cit. t. II p. 598 etq. — 2.) Monarch. III p. 10. — Hettinger op. cit. Com. p. 488 etq. — 3.) Purg. XVI, 58 etq. VI, 88; VIII, 124 etq. — Parad. XVIII, 115 etq.; XXVII, 139 etsq. — 4.) Parad. XII, 93. — Purg. XVI, 131 etq. — 5.) Parad. XX; — 6.) S. Paulus ad Rom. c. III, 29. — 7.) Hurter De gratia. —

Nemo theologorum aliter de eis unquam iudicavit. Quod vero spectat Pontifices quosdam eorum revera in Infernum detrusit. Quod mirum esse non debet, nam multi eorum, cum rebus politicis intenderentur morumque candorem parum colerent, superorum participes secundum et popularium et cultorum opinionem minime fieri poterant. Insuper nonnulli Pontifices, si non directe saltem indirecte fuerunt auctores poltae exilii aliarumque calamitatum; quare Dantes eis parcere haud curavit in sumenda vindicta. Caeterum etiamsi eos carperet iniuste, minime tamen hoc eius orthodoxiae obesset, cum officium eorum summo prosequatur semper honore, utpote vidimus supra [1].

Ad 4dm Quinque Pontifices: Anastasium II, Nicolaum III, Bonifacium VIII, Clementem V, Ioannem XXII Dantes reprehendit. His adhuc addi potest Coelestinus V. Sed quid valeant hi sex contra tantum Romanorum Pontificum numerum? Insuper in Anastasio II ex inscitia poeta est lapsus. Scribit enim Anastasium II inter haereticos in gehenna puniri ob haeresim quandam Photini:

„Ci racostammo dietro ad un coperchio
„D'un grande avello, ov'io vidi una scritta
„Che diceva: Anastasio papa guardo,
„Lo qual trasse Fotin della via dritta. [2]

Dantes hac in re venia dignus est, cum Martinum Polonum, Gratianum aliosque erroris sui auctores habuit. Hi enim scriptum reliquerunt, ubi Anastasium Papam in eo peccasse dicerunt, quod Accacium Eutychianae haeresis patronum, a praedecessoribus iuste depositum, ad sedem Constantinopolitanam revocari consenserit; quod Photino cuidam Thessalonicensi Accacii amico sine consensu episcoporum temere communicarit. Addunt praeterea illi scriptores praedictum Anastasium illud ob peccatum divina ultione percussum misere periisse. Quae omnia falsa fabulosaque esse facile liquet. Etenim certissimis ex argumentis constat, Accacium diem suum obiisse multo antea quam Anastasius Pontifex fieret. [3] Quomodo ergo potuit Anastasius Accacium ad sedem Constantinopolitanam revocare, quem iam dudum mortuum esse novit? Nonne extat eiusdem Anastasii epistola ad Imperatorem Anastasium data, ubi omnimodo persuadere nititur nomen Accacii esse delendum? Imperator vero Anastasius haeresi Eutychiana fuit infectus, fulminis ictu interiit, atque occasionem fabulae dedit [4]. Quod igitur ad Anastasium Imperatorem proprie pertinebat, hoc vel ex ignorantia vel ex quorundam scriptorum malitia ad Anastasium Papam relatum est. Hoc nonnisi Danti vitio est vertendum, quod parum perspexerit illos auctores. Quod vero

Cnfr 1.) Ozanam. La Philosophie op. cit. p. 332. – 2.) Inf. II, 6-9. – Photinus in Thessalia docuit Spiritum S. a Patre non procedere, Filium Dei minoris esse auctoritatis, quam Patrem. Quam haeresim Anastasius II accepit eamque publice deffendit. Ita referunt: Martinus Polonus, Gratianus aliique Dantis antecessores. – 3.) Historia Evagrii lib. III, c. 23; Niceph. lib. 15 c. 17 etc. – 4.) Cedr. Zonaras et Paulus Diaconus. Vita Anast. Imperat.

+ Revera Dantes magnum errorem historiam spectans, reprehendo Coelestinum V Papam ob abdicationem a Pontificatu, commisit. Quis nam probe sciens historiam adjunctorumque illius temporis, ~~affirmare posset~~ rixam eat, Coelestinum rectissime, abdicando se a pontificatu, fecisse. Expedit in memoriam solummodo vocare lites inter ~~fa~~ dinastias Orsiniorum et Colonnorum, morbos contagiosos atque politicas discussiones. Petrus de Murrone fuit monachus, eremita, ex eremo inopinate in pontificatum evectus, vir jam 80 annorum, senex, debilis, omnino ignarus mundi et formarum politicarum; numquid quasi uti talis, navigium Ecclesiae regere intra illud infaustum tempus, potuisset? Minime gentium. Ideo Coelestinus Papa perquam prudenter atque sapienter valediceus pontificatui, ~~perfecit~~ fecit.

attinet Coelestinum V, hunc Dantes non aliam ob causam reprehendit, nisi quod Pontificatu se abdicaverit sine sufficiente causa. +
Ita enim dicit:

Guardai, e vidi l'ombra di colui.
Che fece per viltate il gran rifiuto.[1]

Reliquos quattuor Pontifices: Nicolaum, Bonifacium, Clementem, Joannem ac generatim clerum reapse poeta haud parum carpit, verum ob vitam minus rectam et mores, non autem ob eorum fidem aut doctrinam. Insuper poeta nunquam eos vel haereticos vel antichristos vocat. Potuit Dantes iure merito quosdam et Pontifices vel clericos carpere, cum nonnulli eorum Dantis aetate minus probatam vitam agerent, quam eos deceret. Caeterum cum tantis malis poeta a Bonifacio VIII qui Carolum Valesium Florentiam miserat, affectus esset, odio potius inimicorum quam amore veritatis ad scribendum se accinxisse videtur. Quod tamen minime eius orthodoxiae nocet.[2]

Ad 5am Obiectio his poetae verbis innititur:

„Di voi Pastor s'accorse 'l Vangelista,
„quando colei che siede sopra l'acque,
„Puttaneggiar co' regi a lui fu vista:
„Quella che con le sette teste nacque,
„E dalle dieci corna ebbe argomento,
„Fin che virtute al suo marito piacque.[3]

Perspectis his poematis sacri verbis adversarii Dantis triumphant, sed plane ante victoriam. Etenim eodem in cantico Dantes agnoscit verum Ecclesiae Christi pastorem, qui fuit Nicolaus III de quo mentionem fecit, cum Summos Pontifices a muliere illa meretrice significatos esse diceret:

„E se non fosse, che ancor lo mi vieta
„La riverenza delle somme chiavi,
„Che tu tenesti nella vita lieta,
„L'userei parole ancor più gravi:
„Che la vostra avarizia il mondo attrista,
„Calcando i buoni e sollevando i pravi
„Di voi Pastor s'accorse il Vangelista[4]

Cum igitur summam ob reverentiam clavium, quas Nicolaus III hisce in terris tenuerat, nec in Inferno quidem Dantes ausus sit eum contumeliose tractare, fatendum est. Pontificem ab eo prosecutum esse non ut Antichristum, utpote Protestantes vellent, sed ut verum Christi vicarium, Isi ob avaritiam eundem Pontificem cum illa Apocalypsis meretrice conferri posse indicaverit. Quod facile pariter inveniri potest apud S.S. Patres nec non S.S. Litterarum ~~ti~~ interpretes, praesertim apud s. Bernardum.

Ad 6am Obiectionem probant sequentibus vatis versibus:

„Sappi che il vaso che il serpente ruppe,

Confr. 1) Inf. III, 59-60. – Vita Caelest. papae. Card. Camrensis Petrus ab Alliaco. – 2) Bellarminus Rob. op. c. t. p. 530. Sq. 3) Inf. XIX, 106 = III Apocal. 17. – 4) Inf. XIX, 100-106. =

„Fu e non è; ma chi n'ha colpa creda
„Che vendetta di Dio non teme suppe.[1]

Quem locum interpretando adversarii Dantis eo tendunt, ut vas illud, quod fuit et non est, Romanorum Ecclesiam designet simul ac bestia illa libri Apocalypseos[2], quae fuit et non est. Vox vero „suppe" cum in italica lingua panem vino mactatum denotet, inimici poetae dicunt per eam significari Eucharistiam; ideoque sententiam Dantis esse contendunt non placari Deum sacrificiis catholicorum sacerdotum, qui in specie pane vinoque Supremo Numini sacrificant. Verum gratis probant: non evincunt enim quod velint. Dantes vero, cum videret disciplinam Ecclesiae lapsam, mores christianorum parum probatos, Ecclesiam Christi vasi profecto illo comparavit eamque cum in deterius lapsam cerneret, dixit fuisse et non esse. Quod vero dixit „non esse", per comparationem accipiendum est, non autem „absolute". Etenim poeta minime significare voluit: „non esse Ecclesiam Romae", sed ostendere maluit: „non esse talem, qualis aliquando fuerat: moribus integra, vita sancta, miraculis plena. Quod id prae oculis poeta habuit, luce clarius liquet ex eodem poemate, ubi probat: Ecclesiam Christi esse Romae; summos Pontifices hisce in terris locum Christi agere etc.

Deinde adversarii nostri toto coelo aberrant in explicandis poetae verbis de pane et vino. Etenim Landinus in operibus Dantis versatissimus, cum ad hunc locum pervenit, solidissimis argumentis docet, Dantem hoc loco alluisse ad superstitionem, quae suo tempore apud Florentinos viguisset." Existimabant videlicet illius temporis homines eos, qui homicidium fecissent, numquam posse in manus inimicorum devenire si super occisorum tumulum panem vino mactatum comedissent. Ea de causa cognati eius, qui occisus fuerat, tumulum diligenter custodiebant, ne forte homicidae super occisi tumulum cibo illo vescerentur antequam caedem alia caede ulti essent. Ad hanc malum consuetudinem seu superstitionem respiciendo Dantes minatur divinam vindictam eis, qui hanc malam sapiendo consuetudinem Ecclesiae detrahunt. Addit insuper superstitionem illam eis nihil profuturam...
Minime igitur Dantes Ecclesiam eiusque sacrificium impugnat.

Ad 7am Obiectionem his vatis verbis probant:
„Non sarà tutto tempo senza reda
„L'aquila che lasciò le penne al carro,
„Perchè divenne mostro e poscia preda:
„Ch'io veggio certamente, e però il narro,
„A darne tempo, già stelle propinque,
„Sicure d'ogni intoppo e d'ogni sbarro;
„Nel quale un cinquecento dieci e cinque,

Cnfr. 1) Purg. XXXIII, 34-36. - 2) Cap. 17. -

„Messo di Dio, anciderà la fuia
E quel gigante che con lei delinque[1].

In quibus versis Protestantes aliique nostri adversarii dejectum vident tempus, quo Lutherus theses suas contra Romanam Ecclesiam Summosque Pontifices proposuerat, contendendo annum 515 ab anno 1517 parum differri; sed inepte argumentantur. Etenim Dantes illis in versibus non tempus sed personam indicat. Non inquit enim anno 515 nuntius Dei veniet, verum tempus erit, cum quidam a Deo missus veniet, qui per numerum 515 significatur. Hac in re poeta imitatus est auctorem Apocalypseos[2], ubi nomen Antichristi numeris 666 describitur. Caeterum si numerum annorum lutheranae praedicationis vates praesensisset, cur a vero per integrum biennium aberrasset? Cur etiam mille annos omisisset? Dubium non est, quin Dantes per nuntium illum Dei Imperatorem designet, nam dicit non semper Aquilam haerede carituram. Quomodo vero quaeso, in mentem ulli hominum venire potuerit, ut per illum nuntium Lutherum e monacho apostatam intellexisset? Dantes praeterea vaticinatur nuntium illum fore fortissimum ita, ut non solum meretricem, sed etiam gigantem opprimeret. Atqui omnes per gigantem Philippum Pulchrum intelligunt. Quanta igitur amentia est per illum nuntium Lutherum intelligere. Hic enim neque illum Galliae regem debellavit, neque cum eo unquam vixit. Itaque vera illorum verborum expositio haec est: Numerus 515 latine scribitur tribus litteris DXV quae transpositae ducem designant. Ducem vero poeta non alium intellexit nisi Veronae principem Can Grande della Scala a quo varia beneficia habet semel exul obtinuit. Ideoque more poetarum grati animi causa ei praedicit fore, ut is aliquando Imperio Romano potiatur non solum Ecclesiam a rebus publicis exercendo, sed etiam potentissimum Galliae regem vincendo. Ita rem se habere, perspicuum est ex primo cantico Inferni, ubi et familiam et nomen Canis celebrat et civitatem ejus describit canendo:

„Molti son gli animali, à cui s'ammoglia,
„E più saranno ancora, infin che il veltro
„Verrà che la farà morir con doglia,
„Questi non ciberà terra nè peltro,
„Ma sapienza e amore e virtute,
„E sua nazion sarà tra Feltro e Feltro[3]

Cum autem Verona locum teneat inter Feltrum Romandiole et Feltrum Marchiae Trivosanae, ideoque ad Can Grande illud vaticinium referendum est. Quod etiam confirmatur cantico[4] Paradisi[5]. —

Cnfr 1.) Inf. XXXIII, 37-45. — 2.) Cap. 13. — 3.) Inf. I, 100-105. — 4.) XVII. — 5.) Vide Bellarmin. cit. op.

Ad 8am Obiectio fundatur his argumentis ex sacro poemate:

„Ma tale uccel nel becchetto s'annida,
„Che se il vulgo il vedesse, non torrebbe
„La perdonanza di che si confida![1]

Locus, ad quem adversarii nostri acriter provocant, nihil probat contra Indulgentias. Siquidem, ut exponit laudatus Landinus et res ipsa clamat, hoc loco poeta eos concionatores reprehendit, qui falsas Indulgentias praedicabant lucri percipiendi causa a quo non solus Dantes abhorret, verum etiam omnes catholici. Poetam loqui de eiusmodi impostoribus clare apparet ex his eius verbis:

„Per cui tanta stoltezza in terra crebbe,
„Che senza prova d'alcun testimonio,
„Ad ogni promission si converrebbe.[2] Et infra
„Pagando di moneta senza concio.[3]

Haec adhibita sufficiunt ad probandum poetae animum de Indulgentiis. Caeterum hac de re iam supra monuimus. — Perspectis igitur inde diversis doctrinae Dantis capitibus refutatisque saltem breviter gravioris momenti obiectionibus luculentissime cuique patet, doctrinam eius esse catholicam. Quapropter omnes, qui eum alia doctrina fuisse infectum putent, ut ait merito R. Bellarminus, erubescere debent.

Nota Caeteras obiectiones, quae magno mole contra Dantem moventur invenies apud sequentes auctores: „Doctor Rudolph Pfleiderer. Die Göttliche Komödie nach Inhalt und Gedankengang übersichtlich dargestellt, mit biographischer Einleitung. Stuttgart 1871." Singula fusius repetit idem in opere cui titulus: „Dante Alighieri's Göttliche Komödie. Uebersetzt und erläutert von Karl Streckfuss. Mit berichtigter Uebertragung und völlig umgearbeiteter Erklärung neu heraus gegeben von Dr. Pfleiderer. Leipzig Reclam 1876. Quae vero Pfleiderer continuit vel potius ex aliis fabulorum figulis collegit, optime refutat: „Gerhard Gietmann S.J. Parzival, Faust, Job und einige verwandte Dichtungen. Freiburg im Breisg. Herder 1887. S. 747–563". Fusius totam doctrinam Dantis exponit idem auctor: „G. Gietmann S.J. Die Göttliche Komödie und ihr Dichter Dante Alighieri. Freiburg im Breisg. Herder 1885. — Protestantium vestigia terens, etiam celeberrimus Dellinger post suam ab ecclesia secessionem conatus est memoriae Dantis hereseos saporem adspergere in sua oratione habita 17 Nov. 1887 in Academia Monacensi „Dante als Prophet. Akademische Vorträge von Döllinger. Nördlingen Beck 1888 I Band S. 78–117". Refutationem vero eorum, quae Döllinger arbitrarie et non sine falsificatione impudenti confecit, invenies apud: Emil Michael S.J. Ig. von Döllinger 3 Auflage. Insbruck. Rauch 1894. P. 571–582.

Praeter protestantes in Germania et Dellingerum eiusque discipulos etiam sat multi revolutionarii Italiani conati sunt, Dantem suum fuisse praecursorem. Ita censuerunt: Foscolo, Gabriel Rosetti aliique. Sed sunt somnia, quae ex ipsa Divina Comoedia repelluntur.

Quamvis porro Dantes suis in operibus doctrinam catholicam professus sit, fatendum tamen est, eum minus feliciter in ordine politico-sociali asserendo. Quos autem errores hac in re ipse commiserit inquiramus oportet sequente in parte.

Cnfr 1.) Parad. XXIX, 118–120. — 2.) Ibidem 121–123. — 3.) Ibidem 126. —

Tertia Pars.

Doctrinae partitio — Pax universalis — Necessitas Monarchiae — Argumenta. — Errores. Refutatio eorum — Haeres Monarchiae — Argumenta — Errores — Refutatio eorum. Fons imperatoriae auctoritatis. — Argumenta pro et contra — Errores — Refutatio eorum Meritum doctrinae. —

1. Doctrina Dantis de ordine politico-sociali tripartita est. Tria sibi auctor de rebus politicis solvenda proposuit dubia.

I Utrum ad bene esse mundi Monarchia sit necessaria?

II Utrum Populus Romanus de iure Monarchiae officium sibi adsciverit?

III Utrum auctoritas Monarchiae immediate a Deo dependeat vel ab aliquo Dei ministro?[1]

His in solvendis dubiis quamvis poeta-philosophus subtiliter cauteque instasset, minus tamen feliciter processit. Omnis enim hac in re Dantis apparatus, etsi magnam ingenii vim demonstret expertamque in scholarum disputationibus solertiam nuntiet, haud paucis tamen erroribus scatet. Qui errores ut clare pandantur, prius saltem per capita videamus oportet poetae doctrinam de ordine politico-sociali; deinde doctrinam communiter a theologis receptam.

2. Dantes in opere „de Monarchia", ubi ex professo de ordine politico-sociali tractat, hoc primo loco posuit: „Proprium opus humani generis totaliter accepti, est actuare semper totam potentiam intellectus possibilis, per prius ad speculandum et secundario... ad operandum per suam extensionem. Et quia... in homine particulari contigit, quod sedendo et quiescendo prudentia et sapientia ipse perficitur: patet, quod genus humanum in quiete sive tranquillitate pacis ad proprium suum opus... liberrime atque facillime se habet. Unde manifestum est, quod pax universalis est optimum eorum, quae ad nostram beatitudinem ordinantur".[2]

3. I His praemissis auctor recenset causas, cur Monarchia temporalis necessaria sit ad „bene esse mundi".-

a) „Totum humanum genus ordinatur ad unum. Porro ex Aristotele et ipsa rerum ratione, quando aliqua plura ordinantur ad unum, oportet unum eorum regulare seu

---

Cfr 1.) Monarchia p. 7. - Ouvré p. 26. - Passerini op. cit. p. XII. -
2.) Ibidem p. 10. -

regere, alias vero regulari seu regi."

b) „Duplex ordo reperitur in rebus: ordo scilicet partium inter se, et ordo partium ad aliquod unum, quod non est pars. Ordo partium ad unum est melior, tamquam finis alterius. Sic regna ordinari debent ad unum principem."

c) „Omne illud se bene habet, quod se habet secundum intentionem primi agentis, qui est Deus. De intentione Dei est, ut omne creatum divinam similitudinem repraesentet. Ergo humanum genus bene se habet, quando... Deo assimilatur. Sed genus humanum maxime Deo assimilatur, quando maxime est unum: sed tunc unum quando uni principi totaliter subiacet etc. etc."

d). Ubicumque potest esse litigium, ibi debet esse iudicium: alter esset imperfectum, quod est impossibile, cum Deus in necessariis non deficiat. Inter duos principes, quorum alter alteri minime subiectus est, potest esse litigium. Ergo inter tales oportet esse iudicium: et cum alter de altero cognoscere non possit, oportet esse tertium iurisdictionis amplioris, qui ambitu sui iuris ambobus principetur."

e) Mundus optime dispositus est, cum iustitia in eo potissima est. Iustitia potissima est, quando volentissimo et potentissimo subiecto inest. Huiusmodi solus Monarcha est. Etenim iustitiae maxime contrariatur cupiditas. Remota cupiditate, omnino nihil iustitiae restat adversum. Ubi ergo non est quod possit optari, impossibile est ibi cupiditatem esse. Sed Monarcha non habet quod possit optare: sua namque iurisdictio terminatur oceano solum[1]. Praeterea quemadmodum cupiditas iustitiam obnubilat, sic caritas seu recta dilectio illam acuit ac dilucidat... huiusmodi est Monarcha. Omne enim diligibile tanto magis diligitur, quanto ~~magis~~ propinquius est diligenti. Sed homines propinquius Monarchae sunt quam aliis principibus. Ergo ab eo maxime diliguntur vel diligi debent. Praeterea quanto causa magis est causa tanto magis effectum diligit. Cum ergo Monarcha ultissima est causa inter mortales, ut homines bene vivant, et consequens est quod bonum hominum ab eo maxime diligatur. Quod autem Monarcha potissime se habet ad operationem iustitiae, quis dubitat? nisi qui vocem bene non intelligit, cum, si Monarcha est, hostes habere non possit."

f) Humanum genus, potissimum liberum, optime se habet. Principium nostrae libertatis

---

Cnfr 1.) Dantes videtur non audisse illam fabulam de Alexandro M., qui cum expugnata fere tota Asia eaque suae potestati subiecta pervenisset ad littora Oceani caepisse dicitur flere eo quod non haberet quid amplius faceret suae potestati......

est libertas arbitrii. Sed existens sub Monarcha est potissime liberum. Namque hoc est liberum, quod sui-met non alterius gratia est. Nam id quod est alterius gratia, necessitatur ab illo, cuius gratia est. Quod fit in politiis obliquis, quae in servitutem cogunt genus humanum. At contra, cum Monarchia maxime diligat homines, vult omnes homines bonos fieri, quod esse non potest apud oblique politizantes. Et sic politias rectas instituit. Et huiusmodi politiae libertatem intendunt, scilicet, ut homines propter se sint...."

g) „Ille, qui potest esse optime dispositus ad regendum, optime alios disponere potest. Cum ergo Monarchia nullam cupiditatis occasionem habere possit, vel saltem minimam inter mortales:... consequens est, quod ipse vel omnino vel vel maxime bene dispositus ad regendum esse potest, quia inter caeteros iudicium et iustitiam potissime habere potest: quae duo praecipue legislatori et legis executori conveniunt."

h) Quod potest fieri per unum melius est fieri per unum quam per plura. Omne enim superfluum Deo et creaturae displicet: et omne quod Deo et creaturae displicet est malum. Sed humanum genus potest regi per unum principem, qui est Monarcha. Ergo..."

i) „Ens et unum et bonum gradatim se habent. Ens enim natura producit unum, unum vero bonum. Maxime enim ens maxime est unum et maxime bonum. E quanto aliquid a maximo ente elongatur, tanto et ab esse unum et per consequens abesse bonum. Propter quod in omni genere rerum, illud est optimum, quod est maxime unum. Atqui unitas ex concordia nascitur: nec ista esse potest, nisi sit princeps unus omnium, cuius voluntas domina et regulatrix aliarum omnium esse possit.[1]" En argumenta praecipua, quibus Dantes necessitatem universalis monarchiae probavit. -

k) His adhuc subiungit factum, statum videlicet mortalium quem Dei Filius in salutem hominis hominem assumpturus vel expectavit vel cum voluit, ipse disposuit. Non inveniemus enim, nisi sub Divo Augusto Monarcha existente, Monarchia perfecta, mundum undique fuisse quietum: „Il mondo non fu mai nè sarà si perfettamente disposito come allora, che alla boce d'un solo principe del Roman popolo, e comandatore fu ordinato... E però pace universale era per tutto, che mai più non fu, nè fia: la nave della umana compagnia dirittamente per dolce cammino al debito porto correa"[2]. Haec meditatus est Dantes et ad imaginem ingenii sui expressit, cum de ordine politico-sociali cogitaret. Doctrina haec de universali Monarchia, parum animadvertens semper mutabilem mundum, varios hominum mores, leges, linguas aliaque id genus, erroribus plena dicenda est.

---

[1] Cnfr. T. Opere. Monarchia op. c. t. p. 27 sqq. - [2] Convito p. 167. -

4. Etenim ex ea per se sequuntur:

1° Monarchiam esse absolute necessariam „ad bene esse mundi."

2° Caetera regimina utpote superflua esse contra voluntatem Dei et naturam humanam ideoque imperfecta.

3° Monarcham extra aestum esse positum: sine hostibus, sine ira, studio, cupiditate caeterisque passionibus - verbo omnino sanctum.

4° Extra Monarchiam iustitiam et libertatem servari haud posse. Quatuor igitur errores primum solvendo dubium Dantes commisit. Nam

5. 1° Monarchia absolute non est necessaria ad bene esse mundi. Etenim quod est absolute necessarium, hoc omitti nequit. Atqui Monarchia teste historia neque fuit neque est et semper et ubique, adeoque minime dici potest absolute necessaria ad bene esse mundi. Etenim sicut monarchia ita pariter et aliae regiminis formae vel aristocratica vel democratica[1] sunt bonae. Nulla enim earum vel iniusta vel illicita dici potest. Hinc

2° Falsum est contendere caetera regimina extra monarchiam esse superflua, contra voluntatem Dei et naturam humanam adeoque imperfecta. Potest enim accidere, teste humani generis conditione, ut aliqua societas libera hominum conventione fundetur ab hominibus independentibus. Quo in casu possunt illi sicut libere constituunt societatem, ita etiam libere subiectum auctoritatis determinare atque potestatem supremam vel sibi retinere vel in unam personam vel in aliquod collegium transferre. Quaelibet ergo ex praedictis formis potest esse legitima. Insuper quaelibet forma regiminis licita est modo in ea auctoritas ita exerceatur, ut finis societatis civilis assequi possit, et non adversetur fini ultimo. Atqui hoc fieri potest sive forma regiminis sit aristocratica sive democratica sive monarchica. Quod etiam historia luculenter confirmat. Praeterea nulla regiminis forma aliis ita praestat, ut eis pro quibuscunque adiunctis praeferenda censeri possit. Illa enim regiminis forma optima est, quae prae caeteris una ex parte auctoritati politicae facultatem praebet libere, expedite atque efficaciter munus suum exercendi; altera ex parte libertatem et iura privatorum in tuto collocat. Atqui nulla ex praedictis formis est illis duabus praerogativis pro omni tempore omnibusque adiunctis prae caeteris ornata. Etenim

a) Monarchia per se quidem dignitati supremae potestatis, unitati, ordini ac celebritati regiminis favet, cum tamen tantam fere potestatem uni homini non extra fragilitatem humanam posito committat, facile degenerare potest ac de facto degenerat vel in „despotismum" h.e. in regimen mere arbitrarium vel in tyrannidem, h.e. in abusum potestatis privatum in principis commodum, -

---

[1] Cnfr 1. Aristot. De Polit. l. 3. c. 5. -

+ Attamen regimen monarchicum anteponendum est caeteris formis regiminum. Hoc quidem philosophice probari potest: Quod enim naturali hominum constitutioni conformius est, eo ipso melius reputari debet: atqui regimen monarchicum naturali hominum constitutioni conformius est. Homines enim ante omnem conventionem per familias distributi sunt, in unaquaque familia omnes sub regimine unius constituuntur: ergo naturali eorum constitutioni conformius est ut regimini monarchico subjiciantur. – Et revera, ubique de facto exstiterunt monarchiae a primis temporibus usque ad nos, ut legere est in Genesi et in aliis Scripturae Sacrae Libris. Graeci et Romani sub regimine monarchico fuerunt, antequam formam democraticam adoptaverunt: deinde proprio pondere ad monarchiam redierunt. Eo perfectius est regimen politicum quo promptior et accuratior est administratio: atqui promptior, facilior et accuratior est administratio saltem ordinarie quando unicus imperat: tunc enim tempus in concertationibus et dissidiis incassum non teritur, ut in comitiis deliberantibus saepe contingit. Comitia tamen non excludimus, sed dicimus perfectius esse gubernium, si vis imperandi resideat tantum in uno, qui aliorum experientia et scientia commendatorum consiliis utatur. Ergo ... Ad bonum regimen domus, navis et exercitus, unicus esse debet dominus, rector aut imperator: ergo a pari, in societate politica, tutius consulitur paci et concordiae per regimen monarchicum, quam per quamlibet aliam regiminis formam. Ergo etc. (4p. Philos. Mor.) Si igitur Dantes postpositis caeteris formis regiminum, formam monarchicam non absolutam anteposuisset solummodo caeteris, rectissima ejus disputatio hac in re evasisset

b) Democratia per se libertatem civium minus coarctat, maiorem securitatem ab oneribus duris et universo populo molestis praebet et singulorum civium vigilantiam in rem communem auget, facile tamen perpetuis dissensionibus et tumultibus obnoxia est, per eam insuper promptitudo nec non efficacia potestatis politicae haud raro impeditur.

c) Aristocratia tandem, cum utriusque praecedentis formae commoda maiori gradu participet utriusque pariter incommodis ex parte subiicitur atque insuper Ldiis turbis inter plebem et optimates ansam praebet. Itaque quaelibet regiminis forma licet in se sit bona, certis in adiunctis mala devenire potest. Absolute tamen dicendum est illam regiminis formam esse alicui populo et optimam et utilissimam, quae legitime introducta illius historiae, indoli simul ac moribus magis convenit. Quod ipsa vel experientia sufficienter probatur. - +

3º Monarcha non est extra aestum humanae fragilitatis positus: officium monarchae naturam hominis non mutat, monarcha ut caeteri est filius Adae, adeoque eisdem passionibus obnoxius, quin imo ipse prae aliis in superbiam, ambitionem aliaque vitia prolabi facilius potest ob altum officium, honores etc; arbitrarium igitur regimen tyrannidi iunctum ab eo facile modo indirecti posse nemo non intelligit. Sufficit hac in re citare Neronem, Diocletianum, Leonem Isaurum, Henricum IV aliosque, qui neque extra cupiditatem erant, neque iustitiam recte coluerant. Praeterea etsi, ut vult auctor Monarchiae, iurisdictio Monarchae terminetur oceano, quis unquam negare possit aliud ab Imperatore optari, inimicos alios haberi haud posse? Nonne imperium eius eidem mortales inhabitent? Perperam igitur Dantes sanctum nonnisi Monarchiam eiusque imperium sibi fingebat.

4º Falsum pariter est putare extra Monarchiam neque iustitiam neque libertatem servari posse. Cum enim nulla ex praedictis regiminis formis vel illegitima vel illicita dici possit, cum praeterea nulla earum praestantior sit liquet et iustitiam et libertatem sub aliis cuiusque tuto servari posse. Nulla proinde e praefatis regiminis formis neque tam imperfecta est, ut non satis prospere adhiberi possit, si cum sincero iustitiae studio in subditis pariter atque in imperantibus coniungatur, neque tam perfecta, ut ad prosperum regimen illo deficiente sufficiat. Iustitia enim fundamentum est regnorum. Quae cum ita sint, doctrinam de universali Monarchia illo potissimum temporis momento, quo iam fere ad nihilum reducta erat Imperialis auctoritas, ille tantum potuit proponere salvam, qui cum animo audax esset ea quae describi non possunt, describeret infinitumque determinaret atque

ordinem geometricum, quem cum in rebus caelestibus intellexisset, eundem terrenis libenter applicari voluit. Haec nonnisi a Dante expectari poterant, qui vanam intime in corde ac cerebro in gratissimam ordinis universi imaginem possibilem esse sibi fingebat. Vera tamen auctor illorum errorum est dignus, cum monarchia eo vivente adhuc veluti symbolum sanctum ab omnibus considerata sit.

6 II Deinde probata universalis Monarchiae necessitate Dantes ad aliud dubium de ordine politico-sociali solvendum accedit: utrum scilicet Populus Romanus de iure Monarchae officium sibi adsciverit, nec ne? Allatis hinc inde argumentis poeta-philosophus dicit, Universalis Monarchiae haeredem de iure esse Populum Romanum. Antequam ad probandam hanc rem accedat, Dantes quodam impetu poetico fertur:[1] „Quare, ait, fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae... adversus Dominum et adversus Christum Eius.... Admirabar siquidem aliquando Romanum Populum in orbe terrarum sine ulla resistentia fuisse praefectum: – cum tantum superficialiter intuens illum, nullo iure, sed armorum tantummodo violentia obtinuisse arbitrabar. Sed postquam medullitus oculos mentis infixi, per efficacissima signa divinam providentiam hoc effecisse cognovi... deinde video gentes contra Populi Romani praeeminentiam frementes, populos vana meditantes, reges et principes Domino suo et unico suo Romano principi adversantes: propter quod:.... clamare possum pro populo glorioso, pro Caesare".[2] .. Primum ergo legitimum Populi Romani auctoritatem demonstrat magnamque Imperii Romani imaginem repraesentat tum in „Convito", tum in carminibus, tum in opere de Monarchia. Ea propter quoties de Roma agitur, poeta dicendo calescit clamatque cum Salomone:

„Udite, perocchè di gran cose io debbo parlare"[3]

Deinde varia argumenta afferendo probat Populo Romano non solum legitime auctoritatem competere, verum etiam eum de iure esse haeredem magnae illius auctoritatis „Ius in rebus, inquit, nihil est aliud quam similitudo divinae voluntatis. Unde fit, quod aliquid divinae voluntati est consonum, ius ipsum sit. Cum voluntas Dei per se invisibilis est, per signa quaerenda est.[4]" Quod cum protulisset, hoc modo argumentatus est:

7. a) „Nobilissimo populo convenit omnibus aliis praeferri. Verum Aeneas pater et conditor gentis Romanae, ut Virgilius et Livius affirmant, singulari nobilitate insignis erat... propter maiores illustris, nempe Assaracum ex Asia, Dardanum ex Europa Atlantemque ex Africa, immo per coniuges Creusam ex Asia, ex Africa Dido, Laviniamque ex Italia. Cui non satis persuasum est Romani po-

---

Cfr 1.) Purg. XX, 43; Inf. X, 94. – 2.) Oeuvré op. cit. p. 33–34. – 3.) Convito p. 166. – 4.) Oeuvré Mon. op. cit. 34. –

puli patrem et per consequens populum ipsum, nobilissimum fuisse sub coelo? Aut quem in illo concursu sanguinis a qualibet mundi parte in unum virum praedestinatio divina latebit.?[1]

b) Romanum imperium ad sui perfectionem, miraculorum suffragio est adiutum, ergo a Deo volitum et per consequens de iure fit et est. Testatur et delapsum e coelo ancile, regnante Numa, et ea procella, quae vetuit Annibalem victoriam in Romanos saepi, transitus denique Cleliae mirabilis."

c) „Quicunque bonum reipublicae intendit, finem iuris intendit. Et quicunque finem iuris intendit cum iure graditur. Quod autem Populus Romanus bonum praefatum intenderit, subiiciendo sibi orbem terrarum, gesta sua declarant.... populus ille sanctus, pius et gloriosus, propria commoda neglexisse videtur, ut publica pro salute humani generis procuraret. De collegiis sufficit illa sola Ciceronis auctoritas, de personis Cincinnatum, Fabricium, Camillum Brutum, Decios Catonemque nominare satis est."

d) Quod natura ordinavit, de iure servatur, cum inseparabiliter iuris fundamentum ordini sit consequens adnexum. Romanus Populus ad ordinandum ordinatus fuit a natura: testes Virgilii versus:

„Excudent alii spirantia mollius aera &c."

e) Praeterea patet certamine Dei iudicium, sed dupliciter: vel ex collisione virium, ut fit in pugilatu, vel ex plurium contentione festinantium ad metam ut in stadio. In litigiis quibusdam per athletas divinum iudicium postulatur iuxta iam tritum proverbium: cui Deus concedit, benedicat et Petrus. Et quod per duellum iure quaeque acquiritur. Nam ubicunque humanum iudicium deficit... ne iustitia derelicta iaceat, recurrendum est ad illum, qui tantum illam dilexit, ut, quod ipsa exigebat, de proprio sanguine moriendo supplevit... Quod si stat duelli forma, qui ex necessitate iustitiae conveniunt, nonne Deus in medio illorum est? Cursu simul et duello, cum pretium Imperium esset, Roma praestitit. Ninus, Vesoges, Xerxes Alexander etc. frustra ad hoc praemium anhelavere. Quod nulli contigit nisi Romano Populo, ut probant Virgilius, Boetius ... et scriba Christi Lucas."

f) „Christus edictum libenter Caesaris, cui pareat, elegit, illud esse iustum ipso facto demonstrat... Christus sub edicto Romanae auctoritatis nasci voluit.... Ergo Christus Augusti Romanorum auctoritate fungentis edictum fore iustum demonstravit."[2]

8. His igitur aliisque argumentis Populum Romanum haeredem esse de iure Monarchiae Dantes dicit. Verum tamen hac in re eum non esse felicis memoriae liquet. Etenim

---

Cnfr. 1.) G. Villani op. cit. l. I. c. 1. — Hic multum de eadem re disserit pariter. — 2.) Ozanné. op. cit. p. 36. sqq. —

1º „Vegosem" dicit incertum, nisi Sesotrim in animo habuerit, citandis in auctoribus delectum iudiciumque negligit: carmina, philosophicas disputationes, breviores historiarum libros velut historica argumenta permixte confuseque profert in medium. Dum enim oculos illa antiquitatis veneratio praestringit, nemo sane sine quadam irreverentia propius res inspicere audet. Haec vero vitia propria sibi virtute Dantes didicit: magno quodam excitet animi nisu, qui res amplectatur ex alto et velut ad quemdam certum ordinem referat. Quod si enim incultu dicendi modum neglexeris, feliciter inventum dicas hunc populorum concursum, cuius pretium est orbis Imperium illamque vix adumbratam bellorum Romanorum discriptionem absolvere facile exornare omnis possit. Verum ut res ex alto suscipiat ita rerum legem requirit:

„Perche una gente impera, e l'altra langue
„Sequendo lo giudicio di costei,
„Che è occulto, come in erba l'angue;[1]

Causamque in divina voluntate perperam videt.

2º Hoc vel maximo Danti vitio est vertendum erroremque ab eo commissum est dicendum, quod Imperium a Carolo Magno restitutum, dein ad Germanos translatum minime memorat. Ad Carolum Magnum obiter tantum alludit in Paradiso:

„E quando il dente Longobardo morse
„La santa Chiesa, sotto alle sue ali
„Carlo Magno, vincendo, la soccorse.[2]

3º Ideoque gravissimum errorem hac in parte doctrinae suae de ordine politico-sociali Dantes commicit in historia Monarchiae. Etenim ipse innixus partim Aristoteli, partim fabulosae gentis Romanae historiae evincere divinam Imperii originem valuit, sed ex alto res rimando, vel omnino, vel saltem parum animadvertit utriusque reipublicae historiam evolutionis. Unde Imperium Caroli Magni ab eo consideratur velut idem imperium antiquum Troiani vel Iustiniani[3] Factum igitur gravissimum in ordine politico-sociali ipse oblivioni dedit, tum quod in Occidente Imperatoris dignitas condita est a Romanis Pontificibus[4], tum quod rex Germaniae nonnisi inauguratione pontificia Romanorum Imperator creabatur[5]. „Romanorum Imperatores," ait Ludovicus II ad Imperatorem Bysantinum, „existere cessaverunt, (cum Graeci facti sunt), deserentes non solum Urbem et sedem Imperii, sed etiam gentem Romanam et ipsam quoque linguam omittentes atque ad alia transmigrantes"[6]. Perperam igitur Dantes vindicavit Populum Romanum de iure haeredem esse Universalis Monarchiae.

Confr. 1.) Infr. VII, 82. – 2.) Purg. VI, 89. – Parad. VI, 10. – Monarch. II. – 3.) Supra cit. locis. – 4.) Purg. loco cit. et Monarch. – 5.) Enc. Pii IX ad univ. ep. d. 26 Mar. 1860. – 6.) Die staatsrechtliche Stellung der Kathol. Kirche in den Kat. Ländern des durchen Reichs 1855 – p. 8, 9. – Epist. Ludov. ad Imp. Byz. an. 871 – apud Anonymum. Salern. c. 102. –

9 III Tertia tandem in parte doctrinae suae de ordine politico-sociali Dantes aggreditur solvendam quaestionem „inter duo luminaria magna" versantem. Romanum scilicet Pontificem et Romanum Principem, qua quaerebatur: utrum auctoritas Monarchae Romani immediate a Deo dependeat, an ab aliquo Dei vicario?[1] Antequam directe auctor respondeat ad hanc quaestionem, sequentia praenotat: „Quae sibi iura (scil. politica) summi Pontifices vindicabant, exposita.... patent in libris iuris canonici[2] His legibus adstruebatur temporalis Pontificum auctoritas et imprimis Constantini donationem invocabant, quae ut ceteras omnes antecedebant, ita quasi confirmabant. His enim litteris quibus summum Pontificem principem cunctis sacerdotibus totius mundi confessus est Constantinus M. atque imperatoria ornamenta omniaque summae potestatis insignia eidem Imperator contulit, addita sunt haec verba: „Ut pontificalis apex non vilescat, sed magis quam terreni Imperii dignitas... decoretur, ecclesiae tam palatium nostrum (Lateranense) quam Romanam urbem et omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates beatissimo Pontifici nostro Silvestro universali Papae contradimus atque relinquimus: et ab eo et a successoribus eius... decernimus disponenda atque iuri sanctae Romanae Ecclesiae concedimus permansura. Unde congruum perspeximus nostrum Imperium et regni potestatem in orientalibus transferri regionibus... quoniam ibi principatus sacerdotum et Christianae religionis caput ab Imperatore coelesti constitutum est, iustum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem..."[3] Deinde Decretalistas et Quelfos a certamine removet, ut ad sinceros incorruptosque Ecclesiae fautores sua deferat argumenta: quorum ita proposita dividit:... „ex diversis argumentis moventur: quae quidem de Sacra Scriptura eliciunt et de quibusdam gestis tam summi Pontificis, quam ipsius Imperatoris, non nullum vero rationis iudicium habere nituntur"[4] De primo argumentorum ordine, libris S. Augustini fretus non immerito dicit: „circa sensum mysticum dupliciter errare contingit: aut quaerendo ipsum ubi non est, aut accipiendo aliter quam accipi debeat... Si talia de ignorantia proveniant, correptione diligenter adhibita ignoscendum est.... Si vero industria, non aliter cum sic errantibus est agendum, quam cum tyrannis[5]..." Quibus in medium prolatis singula argumenta quibus temporalis Pontificum auctoritas probatur, perscrutatur atque refutat. Et quidem

10. a) „Deus fecit duo luminaria, luminare maius et luminare minus, ut alterum praeesset diei et alterum nocti. Quae allegorica dicta esse intelligunt (Decretalistae), ista duo regimina, spirituale et temporale. Deinde, quod quemadmodum luna, quae est luminare minus, non habet lucem, nisi prout recipit a sole: sic nec regnum -

---

Cnfr 1.) h. e. successore B. Petri. - 2.) In Gratiani, aib. Decreto (1151), in Gregorii IX. Decretalibus, Sexto, quem an. 1299 Bonif. VIII edidit. Quos libros rursus colligere atque amplificare Clemens V instituerat. - Mon. III, p. 10. - 3.) Corp. iuris civ. Decrt. prima pars, dist. XCVI, c. XIV. - Monarchia auct. cit. p. 40. - 4.) Monarch. p. 42. - 5.) Ibidem. -

auctoritatem habet, nisi prout recipiat a spirituali regimine. Quod autem ille sensus omnino sustineri non possit, duplici via potest ostendi. Primo, quia cum huiusmodi regimina sint accidentia quaedam hominis, videretur Deus usus fuisse ordine perverso, accidentia scilicet prius producendo quam proprium subiectum. Nam illa duo luminaria producta sunt die quarta et homo die sexto. Praeterea... talibus directivis homo non indiguisset... huiusmodi regimina sunt contra infirmitatem peccati... die quarto peccator homo non erat, sed etiam simpliciter homo non erat, producere (ergo) remedia certum est fuisse otiosum: quod est contra bonitatem divinam. Praeterea luna... quantum est ad esse, nullo modo dependet a sole... sed quantum ad melius et virtuosius operandum recipit aliquid a sole. Sic de regno temporali... a regno spirituali recipit ut virtuosius operetur per lucem gratiae quam... benedictio summi Pontificis infundit illi" 1)

b) „Dicunt de femore Iacob fluxit figura horum duorum regiminum: quia Levi et Iudas, quorum alter fuit pater sacerdotii, alter vero regiminis temporalis. Deinde sic arguunt: quemadmodum Levi praecessit Iudam in nativitate, ita Ecclesia praecedit Imperium in auctoritate. – Sed aliud est auctoritas et aliud nativitas: multi enim sunt maiores natu, qui in auctoritate praeceduntur a minoribus: ut patet, ubi episcopi sunt temporaliter iuniores, quam sui archipresbyteri". 2)

c) „Saul rex inthronizatus fuit et de throno depositus per Samuelem, qui vice Dei de praecepto fungebatur. Ex hoc arguunt quod nunc Dei vicarius, Ecclesiae universalis antistes, auctoritatem habet dandi et tollendi et etiam transferendi sceptrum regiminis temporalis. At Samuel hoc fecit non ut vicarius sed ut legatus specialis ad hoc sive nuntius portans mandatum Domini expressum." 3)

d) „Assumunt Magorum oblationem dicentes ipsum recepisse simul thus et aurum ad significandum seipsum esse Dominum et Gubernatorem spiritualium et temporalium. Ex quo inferunt Christi vicarium Dominum et gubernatorem eorundem et per consequens habere utrorumque auctoritatem. Sed aliud est Deus et aliud vicarius Dei: nullus princeps potest sibi substituere vicarium in omnibus aequivalentem. 4)

e) „Item assumunt de illo verbo Christi ad Petrum: „Et quodcunque ligaveris etc... Inde inferunt successorem Petri posse solvere leges et decreta Imperii... pro regimine temporali. Sed hoc signum universale „omne" quod includitur in „quodcunque" nunquam distribuit extra habitum termini distributi. Si hoc „quodcunque" sumeretur absolute, non solum hoc facere posset Pontifex, sed etiam solvere uxorem a viro et ligare ipsam alteri, vivente primo, quod

---

Cnf. 1) Monarchia p. 43 – 2) Ibidem. – 3) Ibidem. 4) Ibidem p. 43-44. –

nullo modo potest. Posset etiam solvere nec non poenitentem, quod etiam facere ipse Deus non posset. Manifestum est igitur quod non absolute sumenda est illa distributio, sed respective ad verba Christi [1]...."

f) Tum demum de celebri argumento e Lucae scriptis excerpto, disputat Dantes: „Ecce duo gladii hic: et dicunt quod per illos duos gladios duo praedicta regna regimina intelliguntur..." Quae quidem figurate dicta negat Dantes.

g) Deinde ex hominum factis argumenta pro sua sententia sumendo Constantini M. praeprimis donationem supra citatam inspicit: de qua re quid senserit nonnunquam inter protestantes catholicosque disputatum est. [2] Quod quidem neutros hactenus recte perspexisse videtur. Nam ut ex „Divina Comoedia patet [3] donationem minime ab eo in dubium vocari, quam tamen ... malorum fontem existimari liquet. In Monarchia vero de eadem re poeta ita refert: „Nemini licet ea facere per officium sibi deputatum, quae sunt contra illud officium. Sed contra officium deputatum Imperatori est scindere Imperium: cum officium eius sit humanum genus ad unam voluntatem redigere. Scissa enim esset tunica Christi inconsutilis... Praeterea sicut Ecclesiae fundamentum est Christus, Imperii vero ius humanum, Imperio licitum non est contra ius humanum aliquid facere: sed contra ius humanum esset, si seipsum Imperium destrueret. Scindere Imperium esset destruere ipsum. Praeterea omnis iurisdictio prior est suo iudice. Sed Imperio est iurisdictio, omnem temporalem iurisdictionem ambitu suo comprehendens. Ex quo patet, quod Imperator ipsam permutare non potest in quantum Imperator: cum ab eo recipiat esse, quod est. Modo dico sic: aut ille (Constantinus) Imperator erat cum dicitur Ecclesiae contulisse, aut non: et si non, plenum est, quod nihil poterat de Imperio conferre: si sic, cum talis collatio esset minoratio iurisdictionis: in quantum Imperator hoc facere non poterat. Amplius si unus Imperator aliquam particulam ab Imperii iurisdictione descindere posset, eadem ratione et alius. Et cum iurisdictio temporalis finita sit, sequeretur quod iurisdictio primo posset annihilari quod est irrationabile. Ecclesia pariter indisposita erat ad temporalia recipienda per praeceptum prohibitivum: „Nolite possidere aurum etc... [4] Patet igitur quod nec Ecclesia recipere per modum possessionis, nec Constantinus conferre per modum alienationis poterat... Poterat tamen Imperator in patrocinium Ecclesiae, patrimonium et alia talia deputare: immoto semper superiori dominio, cuius unitas divisionem non patitur. Poterat et vicarius Dei recipere non tanquam possessor, sed tanquam fructuum pro Ecclesia proque Christi pauperibus dispensator: quod apostolos fecisse, non ignoratur". [5]

Cfr 1.) Monar. p. 44. – 2.) Fraticelli; Carlo Fea apud Artaud, p. 303 etsq. – 3.) Inf. XIX – 115; XXVII, 94; – Purg. XVI – 106 – 127. – XXXII, 125 sq. – XXXIII, 37. – Parad. XX, 55. – 4.) Monarch. p. 46. – 5.) Ibidem.

h) „Dicunt quod Adrianus[1] Papa Carolum Magnum sibi et Ecclesiae advocavit... et quod Carolus ab eo recepit Imperii dignitatem; non obstante quod Michael imperabat apud Constantinopolim. Propter quod dicunt quod omnes, qui fuerunt Romanorum Imperatores post ipsum et ipse advocati Ecclesiae sunt et debent ab Ecclesia advocari... At usurpatio iuris non facit ius: nam si sic, eodem modo probaretur auctoritas Ecclesiae dependere ab Imperatore, postquam Otho Imperator Leonem Papam restituit et Benedictum deposuit nec non in exilium in Saxoniam duxit".[2]..

i) Post haec sumpta ex ipsis factis argumenta, aliud ex humana ratione ductum Dantes refellit: „Omnia quae sunt unius generis, reducuntur ad unum, quod est mensura omnium, quae sub illo genere sunt. Sed omnes homines unius generis sunt: ergo debent reduci ad unum. Et cum Papa non sit reducendus ad alium, relinquitur quod Imperator cum omnibus aliis sit reducendus ad ipsum. At sciendum quod aliud est esse hominem, aliud esse Papam seu Imperatorem. Prout Papa et Imperator sunt homines, reducendi sunt ad optimum hominem. In quantum vero sunt Papa et Imperator, reducendi sunt vel ad iudicem, si alter subalternatur alteri; vel in specie communicant per naturam rationis: vel ad aliquod tertium, ad quod reducantur, tamquam ad communem unitatem, sed non potest dici quod alter subalternetur alteri", neque quod communicent in specie, cum alia sit ratio Papae alia Imperatoris in quantum huiusmodi. Ergo reducuntur in quo habent unitatem. Et hoc erit vel ipse Deus, vel aliqua substantia Deo inferior".[3] Quae cum omnia confutavit, Imperialem auctoritatem ab ipso Deo, velut ab aeterno rerum fonte, immediate derivatam demonstrare Dantes aggreditur: „Et hoc erit ostensum, vel si auctoritas Ecclesiae removeatur, vel si aperte probetur a Deo immediate dependere".

k) „Quod autem auctoritas Ecclesiae non sit causa Imperialis auctoritatis, probatur sic: Sit Ecclesia A, Imperium B, auctoritas sive virtus Imperii C. Si non existente A, C est in B, impossibile est A esse causam eius quod est C esse in B; cum impossibile sit effectum praecedere causam in esse. Adhuc si nihil operante A, C est in B, necesse est A non esse causam eius quod est, C esse in B, cum necesse sit ad productionem effectus praeoperari causam, praesertim efficientem, de qua intenditur. Illud ergo quo non existente, aut quo non virtuante, aliud habet totam suam virtutem, non est causa illius virtutis: sed Ecclesia non existente aut non virtuante, Imperium habuit totam suam virtutem".[4] Ergo....

Cnfr. 1.) loco Leonis III. — 2) Eo magis Henricum III, qui proprio iure tres ad solium pontifices evexerat, Dantes potuit revocare. — 3) Monarch. p. 48 – 49. — 4.) Monarch. — Ginguené op. cit. p. 475 nota I. —

„Quod etiam Christus et Ecclesia confirmant: Christus nascendo et moriendo¹/; Ecclesia, cum Paulus in Actibus Apostolorum dicat ad Faustum: Ad tribunal Caesaris sto, ibi me oportet iudicari. Cum etiam angelus Dei Paulo dixerit, parum post: Ne timeas, Paule: Caesari te oportet assistere... Si Ecclesia virtutem haberet auctoritatem conferendi Romano principi, aut haberet a Deo, aut a se, aut ab Imperatore aliquo, aut ab universo mortalium assensu. Sed a nullo istorum habet. Nam si a Deo recepisset, hoc fuisset per legem divinam aut per naturalem. Sed non per naturalem, quia natura non imponit legem, nisi suis effectibus, et Ecclesia non est effectus naturae, sed Dei: sed nec per divinam: omnis namque divina lex duorum Testamentorum gremio continetur: in quo quidem reperire non possum temporalium curam sacerdotio primo vel novissimo commendatam fuisse. Quod autem a se non receperit... patet sic: Nihil est quod dare possit, quod non habet. Quod ab aliquo Imperatore non receperit, patet sufficienter. Et quod assensu omnium vel praevalentium non habuerit, quis dubitat? Cum non modo Asiani et Africani omnes, quin etiam maior pars Europam colentium hoc abhorreat. Item, illud quod est contra naturam alicuius, non est de numero suarum virtutum. Sed virtus conferendi regnum temporale est contra naturam Ecclesiae. Natura enim Ecclesiae est vita Christi, tam in dictis quam in factis comprehensa. Sed Christus dixit: Regnum meum non est de hoc mundo."

1/ „Si ab ipso Dei vicario non dependet Imperii auctoritas, consequens est quod a Deo dependeat. Homo solus in entibus tenet medium corruptibilium et incorruptibilium. Si enim consideretur secundum corpus, corruptibilis, si secundum animam, incorruptibilis est. Duos igitur fines Providentia homini imposuit intendendo, beatitudinem scilicet huius vitae, quae per terrestrem Paradisum figuratur, et beatitudinem vitae aeternae, quae per Paradisum coelestem intelligi datur. Ad priorem per philosophicae documenta venimus, ad secundum per documenta spiritualia. Propter quod opus fuit homini duplici directivo, secundum duplicem finem; scilicet summo Pontifice, qui secundum revelata humanum genus produceret ad vitam aeternam, et Imperatore, qui secundum philosophica documenta genus humanum ad temporalem felicitatem dirigeret... Cum dispositio mundi dispositionem coelorum sequatur, necesse est ad hoc, ut utilia documenta libertatis et pacis commode locis et temporibus applicentur, ista dispensari ab illo curatore, qui totam coelorum dispositionem praesentaliter intuetur. Quod si ita est, solus eligit

Cufr 1/ Monarchia cit. p. 50.-

Deus, solus ipse confirmat... Electores dicendi sunt denuntiatores divinae prudentiae!... Tum denique Imperatorem potestati spirituali minime obnoxium esse proclamando, Dantes addit: „Quae quidem veritas ultimae quaestionis non sic stricte recipienda est, ut Romanus princeps in aliquo Romano Pontifici non subiaceat: cum mortalis ista felicitas quodammodo ad immortalem felicitatem ordinetur. Illa igitur reverentia Caesar utatur ad Petrum qua primogenitus filius debet uti ad patrem.1)"... En argumentum doctrinae, quam Dantes in solvendo tertio dubio de ordine politico-sociali proposuit.

11. Summa huius doctrinae capita haec sunt:

1º Temporalis Imperatorum potestas minime procedit ab auctoritate Ecclesiae; Ecclesia non est causa imperialis auctoritatis (in Occidente) Cf. d. C.

2º Donatio Constantini Magni 1) fuit fons malorum fuitque invalida; secus inconsutilis tunica Christi scissa esset. Cnfr. n. g.

3º Ecclesia indisposita fuit ad ~~doctrinam~~ donationem Const. M. recipiendam. Cf. n. g.

4º Imperator dare, Ecclesia vero accipere potest donationes tantum in usum fructuum, minime in proprietatem seu possessionem Cf. n. g.

5º Adrianus (Leo III) Papa conferendo Carolo Magno imperialem dignitatem vivente Michaele (in Oriente) ius usurpavit. Cnfr. n. h.

6º Imperialis dignitas (in Ocidente) a Deo velut ab aeterno rerum parte dimanat immediate. Cnfr. n. n. i, l.

7º In divina lege utriusque Testamenti non invenitur, ut temporalium cura sacerdotio sit commissa Cnfr. n. k.

8º Ecclesia temporalium curam neque ab aliquo Imperatore neque a consensu aliorum unquam accepit Cnfr n. k.

9º Asiani, Africani maiorque pars Europae abhorrent, ut Ecclesia temporalium curam habeat. Cnfr. n. k.

10º Ecclesia, si regnum temporale alicui conferret, contra naturam suam ageret. Cnfr. n. k.

11º Pontifex a Providentia divina constitutus est ad spiritualia quemadmodum Imperator ad temporalia. Cnfr. n. l.

12º Imperator a solo Deo per voluntatis suae denuntiatores (Electores) eligitur ac confirmatur; minime autem ab auctoritate spirituali h. e. a Romano Pontifice. Cnfr. n. l. 2)

12. In his duodecim capitibus doctrinae Dantis de ordine politico-sociali nemo non videt totidem errores commissos, quorum alii gravioris sunt momenti, alii minoris. Et quidem

Ad 1um Imperatoris dignitas a Pontificibus in Occidente (800) resuscitata ab eis nonnisi conferri poterat. Iure igitur meritoque Gregorius von Tilburs ad Ottonem IV Imperatorem

---

Cnfr. 1) Monarch. III, 16. – 2) Vide „Codex s. R. Eccl." – Pezzani p. 119 c. 44. –
3) Paserrini op. cit. p. XXII. –

dixit: „Imperium non tuum sed Christi; non tuum sed B. Petri; non tuo opere illud tibi est procuratum, sed successoris B. Petri; non meritis propriis sed beneficio Papae Roma iterum tempore scilicet Caroli Magni Imperium obtinuit; benevolentia Romani Pontificis illud ad Gallorum regem translatum fuit; nunc pariter eadem Pontificis benignitate illud obtinuit rex Germaniae: non ille Imperio dignus est, qui sceptrum Germaniae tenet, sed quem Pontifex eligit." [1] Sicut primus Occidentis Imperator, ait Hettinger [2], creatus est nonnisi manu Pontificis, ita pariter secundum ius medii aevi nemo fuit Imperator nisi quem Pontifex coronaverit, unxerit. [3] Ecclesia ergo fuit causa Imperialis dignitatis. Dantes errorem hunc commisit eo quod Imperium Caroli Magni confudisset cum Imperio Romanorum antiquo, non attendendo historicam Christiano-Romani Imperii evolutionem: quod Imperium originem duxit, postquam antiqui Romanorum Imperatores extincti sunt: si non de iure, saltem de facto erant mortui Occidentalibus. Quod cum Dantes parum animadverteret, eam opinionem infelix venit: auctoritatem Imperatoris immediate a Deo descendere, [4] ideoque minime eam pendere ab Ecclesia. Quod falsum est. [5]

Ad 2um Non est verum contendere Constantini donationem fuisse fontem malorum. Quod patet tum ex verbis ipsius Dantis, tum ex historia. Dantes enim in opere de Monarchia fatetur: „dicere quod Ecclesia abutatur patrimonio sibi deputato est valide inconveniens." Historia porro teste notum est temporale dominium Ecclesiae maxime necessarium fuisse ad finem sibi praefixum obtinendum. „Hodie, ait Vegele, certum probatumque est, si Ecclesia temporali fulcimento privata esset, minus expedite missionem suam instituisset. Communiter hodie Doctores pensant adeo necessariam fuisse Ecclesiae auctoritatem in rebus politicis, ut secus nullam gentibus conversis culturam (Ecclesia) procurare possit. Dantes omnia ex alto contemplans... ira contra abusus incensus oblitus est gravissimi principii, quod facta historica ponderanda sunt iuxta temporis circumstantias. Nam quod uno temporis momento esse possit utile necessariumque, idem altero temporis periodo vel minus necessarium opportunumque vel plane nocivum fit [6]." Porro donatio a Constantino Magno facta omnino fuit valida. Nam quivis Imperator accedente rationabili causa vi alti Domini potest aliquid de Imperio alteri dare, quod tum officium Imperatoris, tum ipsa sagacitas ei adnexa postulant. Luculenter hoc evincitur ex praxi omnium saeculorum. Sufficit citare Diplomaticam Historiam, ideoque non est, cur probemus ultra. Error hic Dantis necessario fluere debuit ex priore, ubi historiam evolutionis utriusque reipublicae Christianae probe inspicere neglexit: donationes enim naturam permutationum habebant.

Cfr. 1.) Otia Imperialia Dec. II c. 19. – 2.) Op. cit. p. 571. – 3.) Hefele. C.-G. V. 572. – Bossuet. Defens. Decl. IV, c. 9. – 4.) Monarch. III, 16. – 5.) Hettinger cit. op. – 6.) A. a O. S. 561. ap. Hettinger in op. cit. – Codex I. R. Eccl. Pezzani p. 39 et sq.

Ad 3um Ecclesia prout est regnum Christi sane indisposita fuit ad donationes accipiendas, cum donis supernaturalibus et dilatetur et conservetur et perficiatur; sed prout societas Christi ex hominibus composita omnino fuit disposita ad donationes recipiendas. Quod etiam ipse Dantes profitetur dicens: „Poterat.... Imperator in patrocinium Ecclesiae patrimonium et alia talia deputare.... poterat et vicarius Dei recipere..." Ecclesia enim nullo iure prohibetur, quominus donationes accipiat: temporale Ecclesiae dominium legitimum esse ipsi adversarii concedunt.[1] Ecclesiam posse donationes legitime accipere confirmatur exemplo Christi Domini nec non S.S. Apostolorum, qui loculos habuisse leguntur.[2] Perperam ergo Ecclesiam fuisse indispositam ad donationes Dantes dicit.

Ad 4um Imperatorem dare, Ecclesiam vero accipere donationes non solum in usumfructuum posse, verum etiam in proprietatem seu possessionem dare arguitur duplici argumento: theoretico et practico. Ecclesia nempe ab ipso Christo praedita est auctoritate pascendi, docendi etc gregem Coelestis Agricolae. Quod ut recte adimpleatur, libertas plane est necessaria, quae quidem, absque civili principatu vix unquam haberi possit.[3] Praeterea neque Imperator dare aliquid Ecclesiae in proprietatem neque Ecclesia donationem accipere aliquo iure prohibentur: non divino, quia Sacra Scriptura et traditio huic coniunctioni duplicis potestatis in una eademque Sacra persona favent; non iure humano positivo, cum et Romanus Pontifex et Imperator sint supra ius positivum humanum; non iure naturali, omnis enim potestas a Deo est, utraque potestas, spiritualis et temporalis, non alium ob finem nisi in bonum totius hominis: animae et corporis, instituta est. Idem etiam constat ex praxi. Historia enim et sacra et profana omnium saeculorum omniumque populorum, duplicis huius potestatis in una eademque persona sacra coniunctionem et possibilem et utilem manifeste probat.[4] Errorem hunc Dantes commisit aspera propter adiuncta utriusque reipublicae medio aevo; utramque enim auctor ad integrum statum reduci voluit, quare facile ab eo excusetur oportet.

Ad 5um Adrianus (Leo III) Papa conferendo Carolo Magno imperialem dignitatem vivente Michaele (in Oriente) minime se fecit usurpatorem iuris. Singulari enim Providentia Dei, ait Leo XIII,[5] factum est, ut, diruto antiquo Romanorum Imperio, Romanus Pontifex civilem prius assecutus principatum Carolo Magno Imperialem dignitatem conferret ad Ecclesiam Christi promovendam eiusque libertatem defendendam. Tunc nempe

---

Cnfr. 1.) Pezzani. Codex. supra cit. p. 118, 119 etc. c. 44. — 2.) S. Joan. 13, 29. - Acta 2, 44. - 4, 34. - Ad Rom. 15. 26. - Gal. 2, 10. - Cor. 16. 1. - Iust. Mart. Apol. I, c. 67. - 1. Aug. in Ps. 146. - 3.) Alloc. Pii IX in consist. Januar. 1862. — Encyc. Leonis XIII „Immort. Dei" — 1 nov. 1885. — 4.) Pezzani op. cit. p. 122 an. 1897. — 5.) Cit. Encyc. 1885. —

Imperium Occidentale restauratum est, quando Orientis Imperatores si non de iure, saltem de facto imperialem prorsus auctoritatem in Occidente amiserunt, quando in persona successoris B. Petri et officium Imperatoris et summi Pastoris eminebat. Sufficit citasse Leonem Magnum, Gregorium aliosque id genus Pontifices. Ideoque Hadrianus (Leo III) fecit, quod de iure facere poterat.[1]

Ad 6um Distinguendum est: imperialem auctoritatem in se, quatenus est potestas, sane non ab alio nisi a Deo descendere liquet: „Non est potestas nisi a Deo.[2]" „Potestas spiritualis, inquit Divus Thomas, et saecularis utraque deducitur a potestate divina".[3] Sed in forma, quatenus scilicet alicui mortalium confertur, plane mediatam atque ab Ecclesia dependentem fuisse nemo nisi historiae ignarus unquam negabit. Confer responsum ad 1um.

Ad 7um Concedimus quoad Novum Testamentum, minime vero quoad Vetus. Historia enim Samuelis, Machabaeorum aliorumque contrarium nobis testatur.

Ad 8um Falsum est contendere curam temporalium neque Imperatorum neque aliquorum consensu Ecclesiae collatam fuisse: utrique enim tam Imperatores, quam populi erant auctores patrimonii B. Petri. Etenim temporale Pontificum dominium ortum est occasionaliter ex spontanea populorum deditione atque principum donationibus. Consulto dicitur „occasionaliter", populi enim et principes hac in re instrumentorum instar in manu Dei erant, qui non sine miraculo voluit, ut Ecclesia humano medio frueretur, ut naturali via populi omnes ad fidei agnitionem pervenirent atque dirigerentur ad vitam aeternam.[4]

Ad 9um Perperam dicitur omnes Asianos, Africanos maioremque Europae partem abhorrere, ut Ecclesia temporalium curam habeat. Si ita res se haberet, minime divites et pauperes, potentes infirmosque variis in negotiis ad Ecclesiam confugientes, auxilium tutamenque a Pontificibus petentes videremus, minime Sedes Apostolica medio aevo esset supremum Europae tribunal, quod sane non Ecclesia, sed gentes conversae fecerunt.[5] Gratis igitur asseritur.

Ad 10um Minime repugnat, ut Ecclesia alicui regnum, quod de iure tenet, conferat. Etenim civilis Romani Pontificis principatus neque Ecclesiae neque Romano Pontifici „absolute" est necessarius: portae enim inferi nunquam adversus Ecclesiam eiusque petram fundamentalem praevalebunt. Posset Deus omnipotenti sua virtute Ecclesiam propagare simul ac conservare absque illo humano praesidio, veluti prioribus Ecclesiae saeculis. Haec tamen extraordinaria via admodum anormalis fuit atque esset. Dominium adeoque Ecclesiae temporale necessarium est nonnisi relative, hypotetice, moraliter: supposita videlicet Dei voluntate, habita ratione Romani Pontificis, eius officiorum

---

Cnfr. 1.) Corpus iuris civ. Decreti prima pars. Dist. XCVI c. XIV; - Hist. Holzwarth t. III, p. 383. - 2.) Ad Rom. XIII, 1. - 3.) In 2um sent. dist. 44 q. 11 ad 3um - 4.) Hettinger. Die Gött. Com. cit. op. p. 448-494. - 5.) Idem. - Hett. op. cit. -

nec non malitiae et perversitatis humanae voluntatis. Hinc quisque videt Ecclesiam rationabili ex causa posse vel solum ad tempus vel partem dominii sui temporalis alteri concedere, consequenter regnum conferre. Verum si agatur de iure conferendi regnum non proprium, e.g. si vellet hodie Ecclesia Imperium Sinense alicui conferre, eo in casu plane conveniremus cum auctore operis „De Monarchia".

Ad 11um Concedo minorem, distinguo maiorem. Directe revera Pontifex tantum ad spiritualia constitutus est, verum indirecte Pontificem pollere auctoritate in rebus temporalibus nemo negabit. Quod etiam Dantes alio in loco docet dicens: „mortalem felicitatem subordinatam esse felicitati immortali" [1] „Ex Dei voluntate, ait Pezzani, reges, principes in ordine morali Romano Pontifici subiiciuntur. At haec suprematia absque dominio temporali concipi nequit" [2]. Praeclare hac de re disserit P. Liberatore S.J. in suo opere: „La Chiesa e lo stato" ubi ita dicit: „Per fermo il Promulgatore e l'Interprete supremo della legge universale, che è fondamento e base d'ogni altra legge, non dee, non può stare a contatto con qualsiasi legislazione particulare, che imperi o influisca, come che sia, sopra di lui, o sopra gli organi di cui egli ha mestieri per l'esercizio del suo magistero" et sic porro [3]. „Etsi absolute forte, ait R. Bellarminus, praestaret, Pontifices tractare solum spiritualia et reges temporalia, propter malitiam tamen temporum experientia clamat non solum utiliter, sed etiam necessario et singulari Dei providentia donatos fuisse Pontifici... temporales aliquos principatus" [4]. Et profecto historia teste constat, saluberrima Ecclesiae Romanorumque Pontificum officia saepe saepius hominum malitia impediri, auctoritatem vero, quae fidei orthodoxiam morumque candorem tuetur, impugnari et conculcari. Quibus malis ut validius consulatur, Romano Pontifici non solum potestas in spiritualibus verum etiam in temporalibus rebus saltem hypothetice collata a Deo est dicenda. [5]

Ad 12um Concedo priorem, distinguo posteriorem. Dubium non est, quin Imperator per electores seu voluntatis divinae denuntiatores eligatur confirmeturque quoad ipsam potestatem; verum quoad formam, qua eligebatur et confirmebatur Imperator, pentes in Occidente medio aevo, omnino dependebat a Romano Pontifice, qui Imperium in Occidente restauravit, quod confirmabatur usque ad interitum Imperii et iure et facto. Confer dicta ad 1um et 6um.

13. Omnibus igitur doctrinae Dantis capitibus consideratis, cuique liquet haud paucos ab eo errores in ordine politico-sociali asserendo commissos esse. Quibus tamen non obstantibus minime de haeresi unquam suspiciendus est. Etenim


---

Cnfr 1.) Bull. „Unam Sanctam" Greg. V; S. Thom. in 2um sent. dist. 44. q. 11. ad 3um 2.) Codex J.R. Eccl. p. 124. – 3.) Cap. III art. XVIII. – 4.) op. cit. 535. – 5.) Adriano Van Gestel S.J. „De Justitia et Lege Civili" p. 129 et p. 131. –

verbis, quibus opus „De Monarchia," ut iam supra nominimus, clauserat, omnes errores omnesque inconvenientias cum doctrina catholica ipse auctor, ut recte ait Baumgartner, refutavit atque correxit. Praeterea doctrina Dantis, ut inquit Moore[1], de politicis rebus ad eam Ecclesiae doctrinam pertinet, quae non est de fide tenenda. Quapropter „libera auctoris dicendi ratio" prohibita ab Ecclesia certas ob causas esse potuit, numquam tamen veri nominis censuram Ecclesiae meruit veluti „d'eretica nequiza"[2] Caeterum errores Dantis fere omnes potius de historia sunt, quam de fide vel moribus, ea propter parum auctori nocent. Commisit illos poeta propter difficillima adumbrata nec non audaciam describendi ea, quae vix a mortalibus comprehensa calamo excipi ac proponi possint. Haec dixisse thematis causa de Dante Alligherio sufficit.

Convenit tandem ut operi finem imponamus eisdem verbis, quibus summus Toscanorum poeta vitam suam claudi voluit:[3]

„Iura Monarchiae, superos, Phlegethonta lacusque
„Lustrando cecini, voluerunt fata quousque.
„Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,
„Auctoremque suum petiit felicior astris,
„Hic claudor Dantes, patriis extorris ab oris,
„Quem genuit parvi Florentia mater amoris. —



Cnfr. 1) The Fortnightly Review p. 230. - 1897 - 2) Ozanam. La Philosophie aux treizieme siècle p. 235. - Hettinger. Göttliche Komödie p. 493-4. - Hergenröthr. Kirchenlex. - Moore sup. cit. etc. - 3) Le Grand Dictionnaire Hist. par Louis Moréri prêtre t. IV, p. 35. -

Настоящая диссертация препровождается къ Г.г. профессорамъ Императорской р. к. Духовной Академии для разсмотрения и обозначения на семъ-же времени прочтения и своего о ней мнения, Апреля 30 дня 1898 года.

Ректоръ Академии,
Епископъ Недзялковский (подписано).

Читали: 3 Мая проф. Щепняк

4 Мая Проф. Ксвенке

14 Мая Ад. профс. Д. Тацумвич

Кс. Л. Гаврон[illegible]ск

Ад. Проф. К. Ставинский.

(Всего подписано.) —

(Общее число 5.)